







V
B
J
C

PRO SACRATISSIMA EVCHARISTIA CONTRA HAERESIM ZUINGLIANAM,

Ad Andream Volanum, præsentiã corporis D. N. IESV Christi, ex eodẽ Sacramẽto auferentẽ

Petri Scargæ Societatis IESV



LIBRI TRES.

i De conuersione substantiæ panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi, quam Ecclesia Transsubstantiationem vocat.

ij De vera Christi corporis in eodem sacramento Altaris præsentia.

iij De malorum in Ecclesia permistione, & quòd verè corpus Christi in Eucharistia manducent.

Bibliotheca Collegii Maioris Univers. Cracovien.

VILNAE EX TYPOGRAPHIA, & sũptibus Illus. D. Domini Nicolai Christophori Radiuili Ducis in Olica & Nieswiss M. D. L. Marsalci. A. D. 1576.

Cum facultate superiorum.

IN STEMMA REVERENDIS ſimi in Christo Patris & Domi- ni Domini Valeriani Dei Gratia Epiſcopi Vil- nenſis.



Sideribus geminis radiãtis cornua Phœbes
Iuncta, tuæ gẽtis ſtẽmata Præſul habes.
Luna regit dubios nocturna per ĩuia greſſ9:
Tu tibi cõmiſſum Paſtor ouile regis.
Aſtra ſuo latas colluſtrant lumine terras:
Tu virtute tuis & pietate nites:
Sũme DEVS, q templa colis ſplẽdẽtia cæli.
Talia da noſtris aſtra nitere plagis.

REVEREN DISSIMO IN CHRI- STO PATRI ET DOMINO DOMI NO VALERIANO DEI GRATIA EPI- ſcopo Vilnenſi, & Illuſtri ac Reuerē diſsi. Domino D. Georgio Radi uilo Duci in Olica et Nieſuiſs eiuſdē Epiſcopatus Vilnē ſis Coadiutori Domi nis meis obſeruā- tiſsimis.



Vi hæc tempora Eccleſiæ Dei in tua diœceſi vrbeq; iſta totius Li-tuaniæ Metropoli, cū illis ante viginti prope annos excitatæ ab Hæreticis tempeſtatis procellis, comparat, Reuerendisſime præſul, quid posſit Hæreſis, quibus artibus in animos hominum influat, qua rerū nouitate, qua inconſtantia feratur, & quibus diſcordijs tandem ſeipſam conficiat, facilè de-

prehendit: Catholicæ verò Romanæq́;
Petri Cathedræ penè oppressam, et rur
sus citò erumpentem veritatem, robur
& in aduersis constantiam, petræq́; illi-
us à Christo prædicatæ, inuictam soliditatem, admiretur necesse est. Infœlix
lolium & astu inimici superseminata zizania, ab initio primisq́; incrementis
nihil à bono semine differre, & herbam
pullulantem, similem omninò tritico, producere videbatur, agricolarumq́; etiã
oculis imponebat. Quem enim illa eorum malè auspicata initia, non permouissent: nihil se nisi restaurationem disciplinæ Ecclesiasticæ in Clero, nil nisi
puritatẽ verbi Dei moliri, calicem tãtũ
ex instituto Christi sibi debitum petere
solius Dei gloriã integram, sublata Sãctorum inuocatione, conseruare velle, & doctrinæ Euangelicæ, humanis
traditionibus oppressæ opẽ ferre, pro
humanaq́; salute se esse sollicitos iactabant. Itaq; non simplices tantùm & credulos, sed & doctos quosdam, & prudentes suis, dolis ceperunt: & hic Vilnæ adeò iam multorum animos hac pietatis specie deluserant, vt deserta iã õia
ferè

ferè Catholicorum templa viserentur: iamq; Papatum, vt ipsi vocant, altero anno extirpaturos se, hoc est Ecclesiã Dei euersuros, gigantes isti certò sibi pollicerentur. At postq; hæc eadem Lutherana herba, in culmos Zuinglianorũ, spicasq; Anabaptistarũ succreuit: & nil se in sacratissima Eucharistia præter signa & panẽ vinumq; agnoscere, nec Baptismo egere infantes, nec in Christo diuinam naturam confiteri velle: nullius sacri Doctoris, nullius concilij legibus parere, sed quod ipsi verum in scriptura probarent, hoc solùm tenere & profiteri cepissent: cùm deniq; in tot discordes, sibiq; inimicissimas sectas diuisi mutuis se bellis appeterẽt: tũ demũ vt inquit Apostolus, insipientia eorum manifestata est omnibus hominibus, & detecti doli cautiores reddidêre hõines: vt herbam illam in qua diiudicanda aberrârant, zizania esse non triticũ semen inimici, non Dei verbum agnoscerent. Pro se igitur quisq; suæ salutis cupidus ab illa se peste subducere, & ad Ecclesiæ S. Romanæ auitæq; fidei saluberrima pascua redire accelerauit. Illi

præcipuè qui simplicitate & animi quadam mobilitate magis, quàm maleuolentia peccauerant. præsertim vbi prudentes sunt nacti fidelesq́ agricolas, & tales operarios, qui luce à spiritu diuino Ecclesiæ sanctorumq́ patrum & antiquitatis regulis accepta, sterilitatem turpitudinemq́ zizaniorum demonstrare, inconstantiam Hæreticorū leuitatēq́ explicare, discordias notare, & adulteratam verbi Dei monetam, quam pro vera deprauatores isti, ignaro populo obtrudunt, discernere poterant. vt nūc restitutam tibi maximam tuam ouium partem, & in dies redeuntium ab errore animarum, Angelicis triumphis sociatam læticiam habeamus. Vires iam afflicta, & tot malis fatigata, colligere incipit tua Ecclesia: & reliquorum qui erāt dispersi celerem ad vnum Christi ouile reditū expectat. In hac tamē pugna cū in illa pericula tuus Episcopatus incidisset, quem animum gesseris, quantùm negocij cum potentissimis illis principibus, qui capti hisce laqueis tenebantur, habueris, qua constantia & animi fortitudine cum illis Ministris qui voca

ti ad tuũ tribunal tot magnatũ stipati vi
ribꝰ veniebãt decertaueris, sæuiẽtiũq; e
tiã luporũ morsus & vulnera sustinue-
ris, nulli qui te tuaq; norunt, obscurum
esse potest. Sed extinguere illam flam-
mam, & ab initio vehemẽtissimum im
petum nõ poteras: eò quòd Ezechijs,
Iosijs, Cõstãtinis, Iustinianisq; fueris de
stitutus. Carnis est opus, teste Aposto-
lo, Hæresis: & hominum mentes ad li-
bertatem carnis, contemptum legum,
disciplinæ dissolutionem, voluptates
vanam gloriam, auariciam natura sua
procliues facilè ad se pertrahit, & hæc
longè facilius persuadet. vt sine magi-
stratus & externæ potentiæ, qua vicia
coërcentur, metu, reprimi non possit.
Nam cùm mala mens suis delectetur
cupiditatibus, ad contegenda vicia, li-
benter velamen assumit pietatis: vt cũ
scelerata sit, pia esse iudicetur. Ita multi
auariciam & templorum expilationẽ
zelo idololatriæ exterminãdæ: plures
crapulam & cõmessationes, puritate E-
uangelij, in quo nullum esse de ieiunio
præceptum cõfingunt, operuerunt. a-
lij illicitam libidinem nuptiarum velo,

 alij

alij vanam gloriam & loquentiæ suæ ostentationem, defensione verbi Dei contexerunt. et à primo illo nostri seculi Hæresium parente Luthero(q suum incestum, vt voluptatibus cœptis vacaret, scelusq; & periurium suum honestate coniugij velauit) hāc quisq; artem didicit, vt suis vicijs seruiēs dogma confingat: & morbos animi sui pietatis nomine contegat. Proinde refrenari nisi à magistratu externo, hæc libertas & naturæ humanæ propēsio tam praua, non potest. Qui vbi suum Ecclesiæ præstat officium, non serpunt Hæreses: sed diligentiæ pastorum legumq; custodiæ cedunt. Meritò & Apostolici illi viri cōtra Samosatenum ,quem Hæreseos damnârant, Imperatorem licèt infidelem compellauerūt: vt eum domo & sede Episcopali eijceret. quod & impetrârunt. Meritò & D. Augustinus suæ ciuitati gratulatur, quòd edictis Imperatorum terroreq; legum ab Hæresibus repurgata sit: ad quas ille reprimēdas, tot libros non tanto cum fructu cōscripserat. Quis miretur excreuisse Vilnæ Hæreses, & hactenus tot earum re

liquias

liquias superesse: cùm nullus vnquam Princeps ne minis quidem eas perterre fecerit. Ibi tantùm hæc pestis viget, vbi qui illam abigat, adest nemo. At Catholica fides persequutionibus crescit: & vbi semel radices egerit, extirpari non potest. Et illi quidem iam ad Ecclesiam redierunt, qui bonitate naturæ, libertatis immoderatæ pertæsi, & q̄si effrenis equus latos percurrentes campos, vbi fossam præcipitem inuenerunt, se retraxerunt: & suæ salutis periculo admoniti, ad frena suæ carnis seruitutisq; diuinæ iugū reducere sese maluerunt. Restāt verò illi, qui Principū metu legūq; seueritate, quas Poloniæ Regnum antiquæ pietatis obseruantia constituit, facilè ad se redirent. Paucissimi illi sunt Hæresiarchæ & relicti à Domino, qui obstinationis temeritate obduruerunt. qui citò diuina vltione pereunt: tantoq; faciliùs pacem Ecclesiæ restituunt, quātò eos qui iam detectam eorum perfidiam sequātur, pauciores vel nullos inueniunt. Vbi verò hoc Politici magistratus præsidio aduersus Hæreses destitutum te videres, Reuerendissime

Antiſtes, ad alia te conſilia conuertiſti: noſtrã aduocaſti huc Vilnam Societatem, & domicilium literarum, arma illa contra Hæreſes fortiſſima, militumq; Chriſti propugnaculum quoddam: ex quo & portæ illæ inferi expugnarentur & fidelium operariorum agmina, ad Eccleſiam defendendam, tanq; ex equo Troiano perpetuò prodirent, erexiſti. Quo quantùm Eccleſiæ tuæ conſulueris, aliorum vocibus prædicandum relinquo. Ego magnum in te animum, ad hoc tam numeroſum iam, Dei benedictione, Collegium inſtituendum admiror: & iuuandæ Eccleſiæ Dei zelum, q te tantis facultatibus ſpoliauit, amicorumq; & cognatorum in te curam extinxit, vehementer celebro. nec hactenus in inſtituenda etiam S. Theologiæ exactiore profeſſione, deſinis eſſe de aliqua acceſſione ſolicitus.

Inueniſti etiam diuinitus permotum & tibi quaſi ſocium à Deo datum, Illuſtrem Dominum Nicolaũ Chriſtophorum Radiuilũ Ducem Olicenſem, huius magni Ducatus Lituaniæ Marſſalcum: qui te in his pro S. Eccleſia ſtudijs vehemẽ-

vehementer adiuuit: fidumq; & promptissimum patrocinium afflictæ sponsæ Christi exhibet. quē Deus ad illa quæ patris eius zelus quidem sed non secū, dum scientiam, diruerat, restauranda admirabili uocatione, & ad fidem Catholicam conuersione suscitauit. Cui nihil magis in votis esse probamus, quā vt Christi exaltetur fides: & Dei gloria in Catholicæ veritatis cognitione, et humana salute, cultuq; illo ab Hæresibus subuerso, propagari & ad pristinum sacra Religio nitorem redire possit. Hoc non exemplis solùm suæ pietatis, sed & magnis in Ecclesiam meritis declarat. Nam noua sacerdotia instituit, antiqua restaurauit, redditibus ānuis auxit, templorum extructioni incumbit, & totum se ad collapsam pietatem restituendam conuertit. Hic etiam Vilnæ radices illum Synagogæ Zuinglianæ succidentem, & illam magnifico delubro priuantem, summa omnium Catholicorum lætici a vidimus. Præter hæc verè Heroica & Catholico principe digna, nostrum hoc, te fundatore institutum Collegium, annuis & perpetuis p

uentis

uentibus liberalissimè auxit. cui post te, Reuerendissime Domine, multùm se debere nostra Societas agnoscit, perpetuaq; memoria testabitur. Nuper etiam nouo beneficio, & promouendæ diuinæ gloriæ studio Typographiã, vt vsibus Collegij seruiat, concessit: magnisq; suis sumptibus restitutam sustentat: vt quæ quondam seminandis seruiuit Hæresibus, ad eas extirpandas & Catholicam veritatem promouendam conuerteretur. Sed nec illud vulgare ẽ eius in Dei Ecclesiam meritum, quòd tres suos fratres ad res magnas natos Domino lucrifecerit, et eos ad Ecclesiæ S. defensionem ita exemplis monitisq; suis armauerit, vt certa nobis solatia in eorum pietatis profectu constituamus. Ex quorum numero, cùm tu Illustrem Ducem Dominum Georgium Radiuilum in Coadiutorẽ tibi successorẽq; delegeris, maximum non in vita tantũ, sed etiam post obitum tuum (quem in multos annos protrahi optamus) Ecclesiæ adiumentum attulisti: & multis periculis occurrens, magna omnes Catholicos anxietate, qui timebant ne in a

liq;

licq; degenerem tua tam fælix incideret
plantatio, liberasti. Is enim est Illustris
& Reuerendissimus Dominus Coad-
iutor, qui præter præclaram indolem, a-
cumen ingenij, generosum & feruentẽ
ad Ecclesiam Dei tuendam, Hæresesq;
euellẽdas animum, & ad vitæ morũq;
tali vocatione dignam puritatem, quæ
in eo magna spe omnium elucent: ha-
bet etiam domestica suæ familiæ exem
pla: ex qua duo iam hunc Episcopatũ
fœlicissimè rexerunt. quorum alter e-
rat, qui in vrbe quam voti explendi cau
sa visitauerat, pietate credo Romano-
rum permotus, Deo se promissione
obstrinxit, quoad esset superstes, trecẽ
tis se pauperibus quotidie, in suo Epi-
scopatu ministraturum & sua manu ci
bos daturum. Magnus certè & libera-
lis animus, sũmaq; in egenos, pietas rẽ
difficilem videbatur suscepisse: eã tamẽ
tanta animi constantia, quoad per cor
poris firmitatem licuit, toto vitæ suæ tẽ
pore præstitit: vt nulla occupatio, nulla
magnatum suam visitantium domum
frequentia, nullus pudor hanc ei sui ab
iectionem, Christiq; imitationem eripe-

re potuerit. Ex ea est familia, quæ añte
susceptam fidem munus illud Põtificij
maximum, apud suos obibat: & post
Christi lucem acceptam, adeò religiosũ
illum animum in cultum veri Dei con-
uertens auxit, vt in multis Ecclesijs fun
dandis, erigẽdisq; sacerdotijs, plurima
in Lituania eorum summæ pietatis ex-
tent vestigia. Et in eo, qui nunc multis
heroicis virtutibus gloriaq; militari cla
rissimus, summum inter Lituaniæ pro
ceres obtinet magistratum, Illust. vide
licet Palatino Vilnensi tanta quondã
Catholicæ religionis obseruantia enitu
it, vt nullum diem sine sacrificio Deiq;
tremendo cultu præteriret: multisq; se
pænitentijs maceraret. Quem rediturũ
ad Ecclesiam aliquando, tanta quæ in
eo elucet prudentia & animi æquitas
nobis polliceri videtur. Summa igitur
spe sumus, Reuerẽdissimũ D. Coadiu
torem hisce progenitoribus natũ, ma-
gno Ecclesiæ præsidio tibi, si Domino
placuerit, successurum: teq; cum perpe
tua sapientiæ commendatione, consilij
tui in eo adoptando fructum, nosq; õ-
nes solatia vberrima habituros esse.

Hac etiam Romana profectione tantũ in solidis virtutibus, & tanto pastore animarum idoneis, in optimarumq; disciplinarum studijs profectũ, capturũ confidimus: quantùm vrbis authoritas exemplorum imitatio, præceptorum fides, omnium expectatio, temporũq; necessitas requirit. Cui hanc epistolam dedicatoriam tecum volui esse cõmunem, vt simul ad tuas etiã virtutes imitandas incitetur; & quos iam vna pro Ecclesia Dei, tuendoq; ac pascendo isto Vilnensi grege cura tenet; eadem etiam in præstando huic meo libello, contra hæreses patrocinio, maneat solicitudo. ne à patre filius et Coadiutor ab Episcopo in his pro Christi ouibus excubijs separetur. Nos quidem canũ, in custodiẽdo Christi grege, officio fungimur, excitare vos, et insidias vobis luporum demonstrare curamus: vestrum est pastorali eos virga & authoritate abigere & deterrere. Ita te etiam, Reuerendissime Domine Coadiutor paucis cõpellare, & de periculis admonere libet. Vide quæ adhuc in hac diœcesi, cuius es additus curator, restent zizania, regnare ad

re adhuc videtur audacia illa Hæreti-
corum: qui pestilentem librum, Reue-
rendissimo tuo in Christo patri, ipsimet
obtrudere volebant, & dedicare etiam
ausi sunt. Nullus eos pudor Diuini ma
gistratus retraxit: non Episcopalis ma-
iestas permouit, ne suum facinus, omni
animaduersiione dignum, apud eum
qui legitimam Hæreses coercendi ha-
bet à Deo potestatem, iactarent. Tales
libros edunt, in quibus te, et omnes Ca
tholicos idololatras vocãt. Et illi quidẽ
docti videri coram imperitis volunt: in
lucem verò illam, vbi cõmenta eorum
discutiuntur, ne prouocati quidem ve-
niunt. Ex eorum sunt numero, qui ex-
cæcati solo odio Ecclesiæ Romanæ ex
æstuant: de quibus Domini voce dici-
tur: Falsi prophetæ currebãt, & nõ mit
tebam eos: qui ordinaria potestate &
ab ipsis Apostolis successione, missio-
nisq; legitimæ vocatione contempta
honorem sibi docendi vendicant: qui
nulli authoritati, nec totius orbis Catho
lici, Conciliorumq; cõsensui cedere, &
verborum tantùm lenocinijs, imperito-
rumq;, & eorum quorum peccata & li
berta-

bertatem carnis nutriunt, applausibus confidere didicerunt. Hanc igitur cogitationẽ suscipe: & tantùm animi, vt eorum impudentiam reprimere, tantùm doctrinæ vt conuincere eos & redarguere possis, tantùm deniq; virtutum tibi compara, vt pertrahere eos & ad saniora consilia reducere valeas. Et licèt quidam tales sint, quos nulla ratio nullum pietatis tuæ & virtutum exemplum permoueat: propter alios tamen quorum Deus corda semper excitat, arma illa in promptu esse Episcopo, iuxta Apostolum, oportet. Inter eos, ẽ etiam Andreas Volanus, qui curantur difficilè. qui tandem post plerosq; nobiscum vltro citroq; habitos sermones, in spem cogitationemq; meliorem induci posse videbatur: si quemadmodũ volebat, de Sacratissima Eucharistia sẽtentia illi D. Augustini, cuius se iudicio permittebat, fuisset explicata. Hoc ergo priuato quodam scripto ad eum dato, quantùm in me erat, animo candido præstiteram. sed nihil profecimus apud eum, qui plura Caluino sibiq; etiã quàm D. Augustino & toti Ecclesiæ

Dei tribuere didicit. Quem se quidem sequi velle verbis ostendit, & quædam eius dicta magna vi ad suam opinionẽ contorquet: re ipsa autem iudicis in eũ munus sibi assumit: cùm in præfatione ad Reuerendissimum, ad scripturæ regulas reducendi illum, et ad suos calculos reuocandi potestatem, sibi vult esse relictam. Sed & illam solis Hæreticis receptam temeritatem D. Augustino tribuit: quasi se ille scripturæ, hoc est priuato cuiusq; vel suo in scriptura sensui & interpretationi, & non potiùs Ecclesiæ (sine cuius authoritate, nec Euangeliũ multò minus eius interpretationẽ recipit) Conciliorumq; iudicio, in fidei dogmatibus, crederet. A qua Hæreticorum propria dementia quàm alienus fuerit, libro secũdo diximus. Vox ista illorum est, qui ad scripturam, hoc est mutas leges prouocantes, ne fraudes eorum & figmenta prodantur, Ecclesiæ magistratum, cui parere et subijci debent, auferunt: & illud quod solũ eos condemnat Euangelium animatũ pertimescunt. Habere scilicet hãc libertatem cupiunt, ne cuiq; pareant: & ipsũ

etiã

etiam ad quem prouocant D. Augusti-
num reijciant, sicubi, vt inquiunt, regu-
lam diuinarum scripturarum nō seque-
retur: vbi verò sequatur, vel non sequa-
tur penes se tanquā summos arbitros,
iudicium esse volunt. Et præstat hoc
Volanus fidelissimè. Nam non tantùm
in hac de S. Eucharistia sententia, sed in
sacrificio Missæ, sanctorum inuocatio-
ne, oratione pro mortuis, in Romanæ
Ecclesiæ agnoscenda authoritate, & in
alijs ferè omnibus, à D. Augustino, q̃d
illi in his à scriptura aberrasse videatur,
ita cum suis dissentit, vt quem verbis
honorat, hunc re vera imperitum, & sa-
crarum literarum infidelem interpretē
falsumq; doctorem faciat. An non hæc
manifesta est impostura, ad iudicem ꝓ-
uocare: vbi autem ad rem ventum est,
tribunal iudicis occupare, & in eum
plusq; censoriam sibi assumere potesta-
tem? Huic ego hoc meo libro respon-
deo, tāta nota Ecclesiæ, quātā illi in me
inurere conatus est, prouocatus. Gra-
tulor mihi quodam modo, certamen
istud cum hac secta obtigisse, quæ est,
vt mihi videtur eò cæteris odiosior, q̃d

 se

ſe ſecundum Euangelium (vnde & E-
uangelici dici volunt) ſentire, & ad eius
normam omnes etiam antiquiſsimos
& ſanctiſsimos Doctores reducere
velle iactitans, illud ipſa tam apertè de
prauat: cum dicente Chriſto, Hoc eſt
corpus meum, non eſſe corpus, ſed fi-
guram corporis, impiè obſtrepit: & nõ
Euangelio tantũ, ſed Deo ipſi contradi-
cit. O egregios Euangelij diuinarumque
literarum fidos cuſtodes, dignos quo-
rum depoſito, tantus theſaurus com-
mendetur: ad quem ipſi diripiendum
primi manus admouent ſacrilegas. A-
liæ ſectæ non manifeſtè, ſed prætenſo
potiùs pallio ſacra oracula corrumpũt:
hæc libertatem omni excuſſo pudore,
tantam ſibi vendicauit, quantam ſolent
qui omnem diuinam ſcripturã explo-
dunt & contemnũt. Media præterea
cum ſit inter Lutheranam & Anaba-
ptiſticã, alijs nocentiorem habet peſtẽ.
Nam alteram quidem illam perficit:
cũ quòd illa ſub utraque tãtùm ſpecie &
in ſolo vſu eſſe dicit, iſta ſub neutra eſſe
profitetur: alterius verò iacit ſemina:
cum Chriſtum non poſſe ſuum nobis
corpus

corpus in altari ex panis substantia effi-
cere & re ipsa exhibere docet, vt om-
nipotentiam ei auferens diuinitatem e-
ius expugnet. Præmissas ponit vt Anti-
trinitarijs conclusionem inferendam re
linquat. Est deniq; omnium ingratissi-
ma, quæ illud diuinæ bonitatis infinitũ
beneficium, in quo nos Dominus no-
ster Iesus, suo viuifico corpore & san-
guine, matrum etiam charitatem supe-
rans, pascit, vera nos sua membra effi-
ciens, contemnit & oblatum proijcit.
Iusto igitur dolore permotus, libenter
cum hac impietate decerto.
Hunc ergo meũ laborem, vobis Re-
uerendissimi Dñi dedico: has Collegij
vestri Typographiæq́; primitias, & ca
tuli vestri cõtra lupos latrãtis, voces su
scipite. Vos verò omni studio in hãc cu
ram incũbite, vt gregem vestrum subie
ctum pascentes, dispersum reducẽtes,
imbecillẽ defendẽtes, ad illa æterna pa-
scua, fõtesq́; aquarũ viuẽtiũ perducatis.
Valere vos Reuerẽdiss. D. diu fæliciss. opto.
Vilnæ ex Collegio Societa. IESV. 12 Maij.
Anno D. 1576.

Vestrarũ Reuerẽdiss. D. D.
seruus indignus
Petr: Scarga Societatis IESV.

ILLVST. DOMINI DOMI. NICOLAI CHRISTOPHORI Radiuili Ducis in Olica & Nie-suisſ, Magni Ducatus Li-thua. Marſchalci Stemma.



Inclyta ſtirps, opibusq; potẽs, atauisq; reful
Sed toto meritis notior orbe vigẽs. (gẽs
Cuius virtuti pro ſtemmate Regius ales
Ceſſit, vt illuſtris prædicet acta domus.
Vt ſecat ille auras pennis: ſic ætheris axem
Scandat inextincto nomen honore tuũ.


Ad li-

AD LIBRVM

I liber, & variis, fortasse legendus, in oris,
Suscipe pro patria fortia bella fide.
Produc scripta Patrum, secli monumēta pri
Et quæ cōsēsus totius orbis habet. (oris,
Cōstāter celebra venerabile corpus IESV,
Quod nūc hæresëon vult lacerare furor.
Quod si qs tuleris iusto cū fænore fructus,
Pro tanto Christi munere gratus eris.
Tū Radiuileæ gentis clarissimus heros
Marschalcus, Litaui gloria magna soli:
Ille tibi fuerit præstanti laude vehendus
Dux, cuius prodis iam releuatus ope.
Illius memora veræ pietatis amorem,
Quo feruens, veterē promouet usq; fidē.
Ille suos Christi fratres adiunxit ouili,
Fratres eiusdem lumina clara domus.
Vt quos consociarat amor fraternus, eosdē
Perpetuo nexu iungeret vna fides.
Illius laudes, Christo delubra sacrata,
Cum sera semper posteritate canent.
Quæ quōdā fuerāt proprio spoliata nitore:
Nunc ornamentis sunt decorata suis.
Quid referā Vilnæ crescētis tecta Lycæi,
Quæ pius egregia iuuit & auxit ope?
Iam propera, fidei desertor & hostis auitæ,
Tradere peruersis dogmata falsa typis.
Iā malè tornatos quātūuis cude libellos,
Vt tua simplicibus sōnia vana probes.
Nil moror, haud deerūt tua q cōmēta refu-
tent:) (los.
Qui structos, poterūt prodere, fraude do

At

At verò noster Mecœnas, cuius in orbe
Sumptibus adiutus luce fruēre liber:
Ille typis, operisq; suis, opibusq; iuuabit:
Vsibus impēdit qui sua prœla sacris.
Quē Deus incolumē, placidis labētib9 ānis
Fac tandem Pylij secla videre senis.



PRO SACRATISSIMA EVCHARISTIA CONTRA HAERESIM ZVINGLIANAM.

Ad Andream Volanum præsentiam Corporis D. N. IESV Christi ex eodem Sacramento auferentem.

LIBER PRIMVS

De conuersione substantiæ panis & vini in substantiam corporis & Sanguinis Christi: quam Ecclesia Transsubstantiationem vocat.



OLEBAT TE PER nos Deus, Andrea Volane, ab Hæresi Sacramentaria reuocare: ideoq; ingeri tibi suum lumẽ, & pro-

pius

Scribendi occasio vnde sumpta.

pius oculis tuis veritatis Catholicæ radios admoueri prouiderat. Et ne te propter auditores, corã quibus aliquãdo suscepta fuit tecũ controuersia, vincendi studium, gloriæq; aliqua cupido, à iudicio recto agnitaq; veritate auerteret: colloquiũ semotis arbitris, in quo sedato animo tuos quibus es irretitus laqueos agnosceres, abs te postulaueram: quòd mihi nõdum in Hæresi obduruisse, callumq; obstinationis obduxisse videreris. Sed tu, vt verbis Domini

Matt: 23.

ad Hierusalẽ vtar, noluisti: hancq; etiã, quærẽdæ tuæ salutis viam, respuisti. Et quãuis relinqui iam contẽptor beneficij merebaris, sterili tamẽ ficulneæ ad-

Luc: 13.

huc Dominus pepercit: & amota securi, nouo te emolliendũ beneficio, spe fructus concepta, cultor vineæ impetrauit. Nam sublata tecũ colloquij ea quam optabã facultate, Christiano zelo stimulatus, curã salutis tuæ deponere adhuc nolui: sed scriptũ tibi quoddã misi, simplex, cãdidum, & apertum, beneuolẽtiæ etiam in te plenum: quo veritatẽ Catholicã de diuinissimo Eucha-

ristiæ Sacramento, in D. Augustini sententia, quam iniquè in vestras partes trahitis, planissimè agnosceres: & obscurius dicta, per alia clarissima, calūniosis interpretationibus resectis, discernere, tuaq; ab Heresi Berēgariana seu Zuingliana inflicta tibi vulnera, quasi suaui familiaris doctrinæ oleo curare posses. Quod ne te ad contentionem prouocaret, tanto silentio feci: vt nō modò obsignata ad te omnia mitti, sed nec amicorū quenq;, præter domesticos quosdam, legere voluerim. Tu verò, in tàm lætali morbo benè te valentem existimans, non modò apposita vulneribus tuis medicamina auulsisti: sed in ipsum medicum, quasi violentas iniȷciens manus, ea quæ secretò acta sunt, typis refutare conatus es: & in publicum, vt in me oppugnando Catholicam fidē proscinderes, protulisti. Quid moneat saluator, nō dandū esse sanctū canibus, ne conuersi, inquiens, dirūpant vos: nunc malè cautus meo probaui exemplo. Matt: 7.
Certè non modò officium, ergà eū qui tibi non nocuit, imò consultum voluit,

præteristi, sed & amicum penè inermẽ, & sincerẽ tecum de pace agentẽ, nõ indicto bello agressus es: vt forsitan in eius securitate, quæ nihil hostile suspicabatur, minusq; instructa prodibat, oportunum tibi gloriæ in scribendo reportandæ locum inuenires. Testem tu tuam mentem habeto: me pia erga tuam salutem voluntas solatur. Te te ipsum volui non ostentationẽ in scribendo quærere: nec victoriæ laudẽ in decertãdo, sed in te Christo lucrãdo, Deo gratum sacrificium offerre cupiebam. At tu me in cõspectu omniũ, tanq; Philisteus ille Dauidem, scripto typis evulgato ad certamen prouocasti: vt de me spolia ampla referres, mihiq; iactatione tuarum virium insultares. Quod si solum spectasses, tacerem equidẽ, nec tibi respondissem. Nec enim eam opinionẽ doctrinæ & eloquẽtiæ mihi vendico, vt pro illa sit mihi cum aliquo digladiandum: suã cuiq; integram relinquere, nostram negligere, religiosis institutis discimus. Afferre me nihil posse maiore industria cõmendatũ libenter

profiteor, quàm quod hactenus doctisſimorũ pro Catholica veritate athletarum labor peperit: quorum triũphos, in hac præſertim Sacramentaria palæſtra, decantare: quàm nouam cũ proſtratis inimicis pugnam inſtaurare ſatiùs eſſe ducebã. Sed nec tu qdquam dicis quod non Zuinglius, Caluinus, Artopæusq́;, tui magiſtri, dixiſſent: ſicuti nec ego Orthodoxis noſtris, celeberrimis Hæreſium expugnatoribus, agnoſco me fortiorem. Itaq; tacuiſſem libenter, etiam opinionis meæ per te traductæ periculo: & intrà limites concionãdi magis, ſicuti aſſueui, quàm ſcribendi me cõtinuiſſem. Cæterùm quia veritatem etiam Catholicam, in cuius me præconio Deus per obediẽtiæ leges conſtituit, oppugnare: pro eaq; impium Zuinglianiſmũ, à quo, & ab alijs Hæreſium peſtibus populum Dei vindicare pro virili noſtra contendimus, obtrudere es conatus: & patrocinium veritatis ſuſcipere, & meum miniſterium Apoſtoli exemplo honorare me Rom: 11.
oportebat. Grex enim Chriſti, in cuius

excubijs simus, præconis sui, quem tu in suspicionem erroris adduxisti, silentio offenderetur, defensioq; ipsius quã prędicamus doctrinæ prodi deseriq; videretur. Venia itaq; necessitati danda erit: quam tãtò æquiùs pius lector mihi concedet, quòd non importunus ad scribendum, sed tua prouocatione victus, ad hoc omnium oculis expositũ tecũ certamen descendam: ne & tu e-
1 Reg: 17. xercitui Dei viuẽtis exprobres, & alij, quibus gigas videris, Christi causæ suæq; saluti detrahant. Sed & vnica, quã Reuerẽdissimo beneficẽtissimoq; fundatori nostri Collegij Valeriano Episcopo Vilnensi intulisti, iniuria, ne dicã contumelia, ad scribendum me excitâsset, mihiq; arbitriũ mei silentij eripuisset. Ausus es tuũ ad me libellũ, quem cõuicijs in Ecclesiam Dei refersisti, illius amplitudini offerre, imò etiã quod omnem superat audaciam dedicare: Ei scilicet, cui Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ, cuius te tàm infensum hostẽ declaras, decus, salusq; vita ipsa est charior, sub specie honoris, & inuidiam cõ

flare, et insignẽ nomini eius notam inurere voluisti. Honoraturus Principẽ, sordes illi & spurcitias, & ea â quibus omnes illius sensus abhorrent obtulit, Volanus: vt nõ honorem habuisse, sed illusisse tanto viro videretur. Huncci-ne inuenit apud quem suarum Hæresium portum habiturum se, suoq; libello, in quo Ecclesiã Dei idololatriæ insimulat, ipsumq; etiam præclarissimum Antistitem, qui Dominum nostrum Iesum Christum sanctè in Eucharistia adorat, tacitè perstringit, hospitium inuenturum cõfideret? eum qui toto vitæ suæ curriculo honestissimè sũmaq; cum laude, & in maximis Reipublicæ Ecclesiæq; fũctionibus transacto, cùm omnium vitiorum, tum inprimis Hæresium hostem se est professus: & ad illas expugnandas â suoq; grege propulsandas, viros ex vltimo ferè terrarum orbe conquisitos aduocauit: in hocq; vnũ amplo literarum domicilio erecto, omne suum studium, labores, industriam, sumptuũ facultatumq; magnitudinem contulit, vitamq; etiam ip-

sam impendere est paratus: vt eam Ecclesiam quam ille tot afficit contumelijs, sartam tectam illæsamque, sicuti à maioribus traditam accepit, conseruaret: fatisque functus eos quasi hæredes relinqueret, qui vel maximè Hæreticos insectarentur: huic, inquam, suum librũ contra Ecclesiam Dei dicare & offerre ausus est, vt quo pudore hoc fecerit, posteris etiam testatũ faceret. Nec tamen sapientissimo Præsuli cùm maximè vellet, imposuit. Nam cùm in arce Vilnensi in publico consessu obtruderet librum: suspicatus dolum Antistes non recepit, sed se responsum daturũ, re ex me intellecta, ꝓtulit. Quod nunc iã tibi exhiberi, Volane, cogita. Quia verò de suscepta mecum controuersia illius amplitudinis iudiciũ postulasti: licet alio quàm parendi animo fecisti (quomodo enim eam fidem & authoritatem, quam totius orbis Catholici Episcoporum Cõcilio detrahis, vni cõcesseris?) si tamen fallor quàm sincerè hoc feceris, declara: Sacerdotis Domini & eius qui tua etiam cõfessione fun-

ctionem

ctionem à Christo sibi habet impositã (quo verbo nihil in tuo toto libro veri vs dixisti) vt damnationem mortis quã tibi in scriptura cõminatur Deus, effugias, sentẽtiæ obtẽpera. Quæ talis est.

VALERIANVS DEI GRATIA Episcopus Vilnẽsis, omnibus Diœcesis nostræ Christifidelibus, filijs in Christo charissimis salutem. Denunciatum vobis esse volumus: librum Andreæ Volani, qui nuper prodijt ad Reuerendum P. Petrũ Scargã Societatis Iesu Collegij nostri Vilnẽsis prædicatorẽ Anno Domini 1574. typis castri Loscensis êditus, totũ esse Hæreticum, flammis & omni exilio dignissimũ: qui ne ab vllo nostrarum ouium legatur, vendatur, & habeatur, sub poena excõmunicationis omnibus interdicimus. Datum Vilnæ 1. Augusti 1574.

Iudiciũ Episcopi vilnen: de libro Volani.

Hoc quidem est Catholici & diuinam functionem, te etiam teste, habentis Antistitis de tuo libro, quod compellare visus es, iudicium. quod ne tibi nudũ, nec vllis fultum rationibus videatur, à me cœtera expectabis quæ iam tibi respõsurus proferam. Nec præmonebo amplius: ne vel reijciendo, vel corruptè interpretãdo, diuinos Ecclesiæ Doctores Hæretico-

rum ingenium exprimas: quãdoqui-
dem te iam penè absorptum in hisce te
nebris probaui: sed iam potiùs ad la-
crymas prouocabo: quòd ad eam pu-
tridi membri secãdi & vrendi necessi-
tatem perueneris. Quod certè magno
animi dolore perfero, imaginẽ in te Do
mini mei agnoscens: & perfusum te a-
liquando inter fideles Christi sanguine
recogitans ingemisco. Heu filium per-
Luc: 15. ditum imitari te & tàm nobile patri-
monium gratiæ & naturæ à communi
omnium parente, receptum, cũ his Hæ
resiũ meretricibus prodigere tàm tur-
piter multis prosequor lacrymis. Quã
blanda & preciosa ego in te curando
non tàm laborum ꝙ sacrificiorũ phar-
maca perdidi: & tu diuina monita con-
temnens (nisi spacio tibi adhuc ad pœ-
nitentiã cõcesso, benè vti malis) quàm
Rom: 2. horrẽdã tibi thesaurizas irã in die iræ
& iusti iudicij Dei. Sed non est lamen-
tãdi tempus: agè, ad rem veniamus, &
vnde in tuo ad me libello, in subuerten
da Euãgelicæ & Catholicæ prædica-
ti onis veritate, sumpseris exordi-
um, videamus.

IN PRIMIS IN EO SCRIpto, quod ad te reducendum tenebrasq́ tuæ mentis depellendas miserã, ordinis tibi mei ratio displicet: quôd, tripartitam demõstrationem inducẽs, primo quidem loco, in sacratissima Eucharistia verum Christi Domini nostri corpus virtute ipsius cõsecrationis esse: secundo, malos etiam hoc ipsum in Sacramento percipere, probaui: ad extremùm, substantiam panis in corporis Christi substantiam conuerti, ostendi. Quam ad rem D. Augustini potissimum sententijs, cuius te iudicio permiseras, vsus sum. Licèt in probanda Transsubstãtiatione, decem alios plenos authoritatis, & æqualis cũ D. Augustino nominis testes adiunxerim, vt tantò faciliùs pondere veritatis victus cederes. Vltimum, inquis, quòd prima illa duo consequuntur, erat inprimis probandum, nec tam præposterus ordo adhibendus. Quæ reprehensio, pace tua dixerim, Volane, grauiora te studia, quibus destitutus in S. Theologiæ regnum temerè inuolâsti, omninò negle-

Ratio ordinis explicatur.

neglexiſſe, nec ſaltem leuiter attigiſſe prodidit. Si enim de ea, quã Græci Analyſin vocant, aliquid didiciſſes: ſubijſſet tibi in mentem, apud eos, qui via & ratione de re aliqua ſermonem inſtituunt, primam naſci quæſtionem, an ſit, poſteriorem quomodo, vel cur res ſit. Prius erat oſtendendum, Corpus Chriſti in Euchariſtia eſſe: demum quo modo ſit docendum. Nec inficiamur, imò verò quod das libẽter accipimus, Tranſſubſtantiatione probata, duo illa prima conſtare: interim tamen perſpicuum eſt, ſi quis Transſubſtantiationem neget, eam ipſi non niſi ex illis duobus demonſtrari poſſe. Itaq; cum aduerſario Tranſſubſtantiationis à notioribus, qui probationum eſt ordo, fuit progrediendum: & ante oſtendendũ, Corpus Chriſti in Euchariſtia conſecratione, hoc eſt, vi omnipotentis verbi Dei ita eſſe, vt à malis etiam ſumatur, quàm quo pacto ſit tractandum. Tu verò callidè progrediens, ibi primùm expugnandi machinas admoues, vbi debiliora mænia ſuſpicaris. Sed quã

tibi ip-

tibiipsi imposueris, Deo propitio, agnosces, vbi relicto meo ordine, hunc quē tuus impetus exposcit sequi, & ex re capere consilium cepero. Postquam ergo, tuis ita exigentibus tenebris, nihil in te secundum illum susceptum ordinem instituendo profeci: curabo, vt in te repellendo, & tuis in te telis regerendis ad aliorum cautionem proficiā: & quam tu in oppugnanda Catholica veritate sequutus es, hanc ego etiam in defendenda seriem sequar: à Transsubstantiatione cepto inicio, ad cætera, Deo duce, ita manum admouebo, vt intelligas inde te cepisse, vnde facilius multò opprimi & succūbere poteris: nec mecum qui nihil sum, sed cū Deo ipso, & terribili eius vt castrorum acie ordinata Ecclesia, bellum tibi esse susceptum. Confido Dominum nostrū Iesum Christum, quem in hoc diuinissimo Sacramento adoro, & hanc S. Eucharistiæ arcam, quam ego prorsus de meis viribus desperans contrà te nunc etiam supplex acccerso, hunc mihi sui cultus fructum relicturam esse: vt lice

1 Reg: 5. 6.

tu eam cũ Philisteis illis sectæ tuæ magistris comprehendisse, & õni sua maiestate spoliâsse, cumq; tuis opinionum idolis collocâsse, imò idolum eam fecisse glorieris, ad extremũm tamen seipsam vindicet: vt ad instar illorũ, quorum irreuerẽtia diuinitùs vindicata est, putrefactis tuis natibus, vel eam cum summo honore, ad Catholicam Ecclesiam, à qua desciuisti, conuersus reducas; vel obstinationis tuæ & temeritatis supplicia, quæ auertat à te omnipotens, persoluas. Sed iam ad propositũ veniamus.

CAp. I.

In quo fundamẽta Volani destruuntur.

IN ipso exordio damnas eorum imò probitatem, qui hoc Eucharistiæ sacramentum, summæ consolationis plenum, quod vinculum mutuæ Charitatis esse debebat, pomum Eridis, hoc est, discordiarum materiam effecerũt. Iusta est tua in hos indignatio: sed quinam sunt hi quorum opera hoc pacis vinculum solutum est, si tã cautè perspexisses, quàm verè in eos sententiam tulisti, nunc te tuo ore condemnâsses.

sed

Sed veritas, te etiam inuito, in execrationem vestrorum schismatum per os tuum erupit. Illi ipsi sunt Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ desertores, in quos hanc culpam meritò conferre debes: qui seminata inter fratres discordia, sicut corpus Christi Mysticum Ecclesiã Dei sua sacrilega secessione sciderunt: ita & hoc in Eucharistia verum & reale, non modò varijs & dissidẽtibus interpretationum suarum commẽtarijs polluerunt, sed ad extremùm ex ipso Sacramento sustulerunt: &, veluti Cẽtauri & Lapithæ cõmissa inter epulas pugna, cibum hunc sacratissimum suis contentionum tumultibus in terram deiectum pedibus conculcare, & cõculcandum alijs præbere ausi sunt. Per mille quingentos annos constans vnaque omnium de hoc diuino Sacramento viguit confessio, & inuiolata huius mysterij cõseruata est, & ad nostra secula deducta maiestas: cùm fidelis quisque, verbis Christi clarissimis, & diuina eius omnipotentia, Ecclesiæque ab Apostolis accepta doctrina victus, &

Hæretici discordiarum authores.

Hæreticorum inter epulas pugna.

suprà omnem sensum fide Catholica erectus Deum & Dominum nostrum Iesum Christum sub speciebus panis & vini adorauit: & se nõ figuris & phãtasmatibus, sed ipso reali Christi corpore vesci, profusis lacrymis, propter tantum in se diuinæ charitatis pignus, gratulabatur. Attoniti omnes & venerabundi ad vnum altare adorantes, & Domini sui sub specierũ velamine dulcissimam præsentiã degustantes, vnũq; hũc panem manducantes, vnum Christi corpus efficiebantur: erat multitudinis cor vnum & anima vna: nulla perturbabat fratres discordia: Ecclesiæ filij vnanimes in domo, sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ domini epulabantur. Et licet ante sexcentos prope annos parẽs tuæ sectæ Volane, infelix Berengarius, conuiuium hoc dissensione inter fratres suscitata perturbare fuerit conatus: citò tamen eius expugnata perfidia pacem Ecclesiæ ad hæc vsq; nostra secula reddiderat. Stabat victrix & per sexcentos annos de Berengario triumphans Ecclesiæ fides. Prodijstis

Concordia Catholicorũ

Acto: 4.
Psal. 132.
Psal. 127.

Berengarij Hœresis prostrata ante 600. annos.

tandem

tandem luctuosa hac nostra tempesta-
te genimina viperarũ Luterani, Adia-
phoristæ, Brentiani, Flacciani, Zuingli-
ani, Tropistæ, Caluinistæ, Anabaptistæ
& alij prope innumeri præcursores
Antichristi, quem iuge hoc in Euchari-
stia sacrificium expugnaturum, iuxta
Danielem, hæc vltima secula expectãt.
q secessione facta, ab ea quæ illos ge-
nuerat, ad hancq́; mensam concordes
educauerat, Ecclesia: sublato augustis
simo sacrificio, hoc mutuæ coniuncti-
onis vinculum dissoluere, & sacra Eu-
charistia ad omnes contentiones abu-
ti cœperũt. Deserta enim Catholica de
hoc mysterio sententia, ipsi inter vos
de præsentia Christi corporis tam acri-
ter dimicatis, vt nulla sit secta, quæ non
pro suis cõmentis in verbis cœnæ Do-
minicæ, magnos excitet tumultus. Alij
sub vtraq; tantũ, alij in pane, alij cũ pa-
ne, alij sub pane, alij vbiq; instar diuini-
tatis Christi corpus esse cõfingunt: alij
rursus, id quod cæteri prauis interpre-
tationibus cõtaminarunt, totum è me-
dio auferunt, & contemptim explo-

dunt, nihilq; præter nudum panem in Eucharistia relinquunt. Huc scilicet Sathanæ tendebant insidiæ: vt quod per Luteranos inter se pugnantes tot commentarijs polluit, per Sacramẽtarios & Anabaptistas secum itidem decertãtes, reijceret, & ad summum contemptum diuina mysteria adduceret. Et sicut illud manna in deserto, illi quibus ob Aegypti recordationem fastidium attulerat, varijs quidem modis condiebant: nihilominus suo iam deprauato
Num: 11. gustu, nil in eo quod eis saperet inuenêre: eâdem vos quoq; ratione, varijs quidem expositionibus hunc cœlestẽ noui Testamenti cibum condire voluistis, sed idem erga illum omnes retinetis fastidium; eò quòd corrupti & carnales dissensionibus tantùm studentes, & concordiæ fraternæ, quam vsus huius sacramẽti exigit, perturbatores ad Aegyptum suspiratis: vestrarumq; opinionum idola, quæ sunt omnium dissensionum seminaria, colere, & nulli parêre decreuistis. Agnosce igitur, qui sint ij de quibus questus es, qui hoc sacramen-

cramẽtum pomum Eridis effecerunt: vt quàm iustè te tuosq; dãnâris agnoscas. Certè cùm Zuingliani Luteranos & Luterani Zuinglianos propter dissidentes de Eucharistia opiniones exilijs, carcere, varijsq; supplicijs afficitis: vos quidẽ superbiæ, quæ semper producit iurgia, esse progeniem profitemini: nos verò, qui vnanimes in domo, sicut ab initio accepimus, in circuitu mensæ Domini, epulamur, veros esse obedientiæ pacisq; filios confirmatis. Deinceps verò Hæresim iam pridem mortuã & fidei constantia in Berengario sepultam, quam nostra ætate Zuinglius suscitauit, defensurus Volanus, realemq; in Eucharistia Christi præsentiam, & substãtiæ panis & vini in Christi corpus & sanguinem mutationem euersurus, quædam se putat iecisse fundamenta: quæ adeò falsa & inania esse inprimis probabimus, vt super arenã fabricare illum facilè quisq; perspiciat. Nam primò ad figuras & tropos, asylum quoddã mendaciorum, quos verbis cœnę Dominicæ obduceret, nihilq;

Pro. 13.
Luc. 10.
1. Pet. 1.
Matth. 7.
Fũdamẽta Volani.

 in

in eis veritatis relinqueret aditum sibi ex illa similitudine, in qua se Christus vitem per figuram vocauit parare conatur: secundò, vt omnem ad salutem necessarium S. Eucharistiæ vsum subuertat, sola fide Christum apprehendi, & ei nos coniungi putat: vltimò, sacramētalem Corporis Christi manducationem, quæ sola est à Domino in Eucharistia instituta, euersurus, idem esse Christum manducare, quod in Christum credere probare contendit. Quæ qualia sint fundamenta, quā malè materiata & ruinosa, prudens lector considerabit, vbi demoliri ea & quamprimùm disijcere, & antequam negotium Transsubstantiationis aggrediamur, quid doli habeant detegere, cæpe rimus. Nā vt de primo loquamur. In illis Christi verbis, Hoc ē corpus meū Hic est sanguis meus, ne magistrorū suorū vestigia sectaretur, figurasq; cōminisceretur Volanus aditū ipsi, suscepta de Trāssubstātiatione quæstione, præclusimus: quæ vel ideò primo loco posita à nobis est, vt in ipso limine

Primum fundamētum euertitur.

ne ab iſtis troporum commentis arce-retur. Si enim his Chriſti verbis ſubſtã-tiã panis in Chriſti corpus mutari pro-bamus: nullus erit figuris locus. Sicut enim aqua conuerſa in verum & na-turale vinum, ſine vllo tropo vinũ eſt dicta: ita pane in Chriſti Corpus, ſecũ-dum ſubſtantiam mutato, verè & ſine vlla figura de illo, quòd corpus Chri-ſti ſit, ꝓnũciatur. Ibi ergo figuras quæ-ras Volane, vbi nulla rerum conſequi-tur mutatio: in illa propoſitione tropi tui habeant locum, vbi nulla ſubiecti in prædicatum conuerſio probatur. Nec enim vitem, nec petram, nec agnum, in Chriſtum mutari, ſed panem Eucha riſticum, in ſuum corpus ipſe Chriſtus conuerti potentiâ ſui verbi voluit, di-cens: Hoc eſt corpus meum. Ad Trã-ſubſtantiationẽ itaq; veniamus: nec an te quicq; de figuris cõmentare, quàm hanc mutationem panis in ipſum re e-xiſtens Chriſti corpus ſuſtuleris. quod quàm arduum, imò impoſſibile tibi ſit paulò pòſt magis experieris. Quam-uis autem ſparſim in reliquo orationis

Realis cõ uerſio ex-cludit tro pos.

nostræ cursu, de his figurarum commentis dicetur: hoc tamen etiam nunc in isto disputationis vestibulo dicendũ est: nihil cogitari vel stultiùs, vel ad subuertẽdam omnium scripturarũ fidem perniciosiùs posse, quàm si quispiam in omnibus quæ dicuntur tropos & figuras quærendi licentiam sibi vendicet. Quid enim certum & fixum in omnibus fidei nostræ articulis cõstabit, imò quid non potiùs destruetur, si hæc interpretationum per figuras audacia omnia ad subuertẽdos apertos sensus peruagabitur? Ebionitæ quondam & ipsi Nestoriani, Mariæ Dei filium per nuncupationem quandam & tropum, nõ autem propriè dici mẽtiebãtur: q̃s nunc sequuti Anabaptistæ in illis itidẽ verbis, quibus Christus Deus dicitur, figuratum sermonem quærũt, impropriè Dei nomen vsurpari dicentes, mutuato scilicet à suis parentibus Zuinglianis exemplo: qui Christo dicẽte, Hoc est corpus meum, tropica figmenta cõsectantur. Iam & illud, Verbum caro factum est, & Hic est filius meus dilectus

Tropi Zuingliani scripturarũ fidem subuertunt.

Hæretici antiqui per figuras eludebant veritatem.

ctus, quilibet per figuratos sensus Hæreticus eludet. Nil vnquam solidi ex scriptura ad probādum afferetur, si his figuratis sensibus, qui etiam Origenistas illos in summa errorum præcipitia adduxêre, non ponetur modus. Denique quid mentis est illi, qui cùm semel atque iterum aliquod figuratum dicendi genus in alicuius oratione repererit, iam in ōnibus eius dictis figuras quærat? Rarus est & parcus dictionis tropicæ vsus, nec difficilê à simplici discernitur. Qui cùm maximè in docendo, vbi res vel illustrandæ sunt similitudinibus, vel aliquibus ænigmatibus & parabolis contegendæ, versetur: absurdum est in verbis cœnæ illius sacratissimæ, vbi nec est vlla præcedens doctrina, quæ lumine cōparationis indigeret, nec rerum collatio aliqua, nec illorum quæ obscuriùs dicta sunt explicatio deprehēditur, figuras, ceu nodum in scirpo, quærere. Si quid parabolicum & figuratum Dominus, res quasdam à populari cognitione abscōsurus, attulit: vel illud secretô discipulis explicabat, vel ipsi-

Rarus & definitus est figurarū vsus.

Matt. 13. Mar. 4.

ipsimet discipuli interpretationem requirebant: quorum cùm neutrum hîc sit, efficitur, nullam Apostolos figurã suspicatos, veritati ipsi simplicitatiq; verborũ cessisse, & pignus illud summæ charitatis tanto decoratum miraculo prompta fide suscepisse. Institutionem deniq; sacramentorum, tam humanæ saluti omnibus seculis necessariã, à troporum inuolucris & tenebris liberam esse oportebat. Alia enim est ratio eruditionis & doctrinæ: alia sacramẽtorũ institutionis. Quando docuit saluator, vsus est quãdoq; figuris & parabolis: quando verò sacramentorum vitæ æternæ instituit medicinas, clarum, simplicemq; sermonem adhibuit: ne aperta illius beneficia, in dubium reuocandi vlla præberetur occasio: ne seduci magis, quã dotari videremur. Quis enim vnq; testamẽtum conditurus, & hæredes filios, quos vnicè diligit instituens, omniũq; quæ possidet ius in illos trãsferens, obscuris hoc & figuratis facit sermonibus? vt cùm septem auri talenta legare velit, septem se panes donare scribat?

Institutio Sacramẽtorum à figuris est libera.

ſcribat? An nõ illuſiſſe potiùs hæredes, quâm ditaſſe videretur? Rem certè tanti momenti, ex qua omnium dependet ſalus, claris inſtitui verbis neceſſe fuit: ne ipſa dicendi obſcuritas, in eo ſacramento quod vnitatis, paciſq; & amoris filiorum Eccleſiæ vinculum eſt, diſcordiarum ſeminarium efficeretur. Ideò ſimplicisſimis verbis, hoc omnium cæleſtium theſaurorum promptuarium commendauit, dicens: Hoc eſt corpus meũ: Hic eſt ſanguis meus: quo ſolo, quia verum & ſimplex eſt, diuites cenſemur: in quo, ſi figurarum tãtùm ſunt ludicra, nec verum quicq; deponitur, miſeri, & adhuc in Moſaica vmbrarũ & inanium elementorum egeſtate verſamur. Deſumuntur præterea figuræ & ſimilitudines ex cõmunibus aliquibus rebus, nec eſt ad ſingulares deſcẽſus & demonſtratio. Nec enim dixit Dominus vite accepta, Hoc eſt corpus meum, ſicuti pane acepto dixit: vt illic figura, hîc ſimplex prorſus ſit dictio. Noli itaq; figuratos dicendi modos ex ſcripturis, qui ab eo de quo res eſt plu-

riunt'm distant, cōgerere: sed alios potiùs simplices, & huic in cœna responGene. 1. dentes consectare: quales illi sunt, Fiat
Matt. 8. lux, Mundare, Adolescens surge, TolLuc. 7. le grabatum tuum, & ambula, Lazaioan. 5. re veni foras, Filius tuus viuit. Sicut e-
11. 4. nim in istis nulla est figura, sed verbi diuini iussione rerum admirabilis consequitur mutatio: ita eodem Christo & Deo dicente, Hoc est corpus meū, diuino, simplici, & à tropis alieno sermone, stupenda naturarū efficitur conuersio: vt cùm panis illud non sit quod erat, sed in aliud immutetur, verè & simplicissimè de eo dicatur in quod demōstratur esse conuersus. Prius ergo, vti diximus, mutationem panis in Christi corpus, sicut recepisti, impugna: demū figuris locū require. Ibi enim tibi concedi possunt, vbi nulla re ipsa existens sequitur mutatio. Primum itaq; tuum fundamentum corruere vides: licèt & infrà tantò crebrius impugnabitur, q̄d illud toties prostratū erigere, & in eo totū causæ tuæ iniquæ ædificium collocare videaris.

ALTERVM VERO ILlud non multò maiore ad diruendum labore indiget. Primùm enim ex te quæro: cùm dicis, nos Christo sola fide inseri & coniungi, (quamuis hæc concertatio ad iustificationis potiùs quęstionem pertineat) quæ te scriptura docuit, solam esse fidem, vti vnicum instrumentum ad Christum apprehendendum animæq; salutem consequendi? Vnde hãc vocẽ, Sola, ex quo scripturæ loco eruis? in quo eam testamẽto adiunctam fidei inuenisti? In Luteri scilicet, omnium Hæresium nostri seculi infelicissimi parentis: qui vt tertiũ conderet testamentum, hanc impiam deprauandis scripturis manum admouit: vocem hãc, Sola, fidei adiungẽs, Apostolicisq; oraculis inserẽs: vt ad expugnanda non modò omnia Christianæ charitatis opera, virtutesq; omnes, sed etiam sacramenta ipsa, hanc machinã admoueret. Cuius si tibi, authoritatem sequendam ducis: vide, ne te tanq; degenerem filium, & in hac de Eucharistia realiq; Christi corporis præsentia

CAP: 2. In quo secundum fundamẽtum expugnatur.

conten-

cōtentione, suū acerrimum hostem ab hæreditate sui testamēti excludat. Scri pturæ igitur testimonia in tuis conqui‑ ro, quæ te ad hāc vocem sola fidei iun gendam inuitarūt: & inquirens studio sius, duo præcipua inuenio: Alterum quòd Apostolus te interprete dicat:

Gal. 2. Viuo ego, iam non ego, sed viuit in me Christus. vitam autem, quam nūc viuo in carne, per fidē viuo filij Dei: qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me. Alterum, quòd ipse saluator doceat:

Ioan. 15. Ego sum vi‑ tis, vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructū multum: quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non mā‑ serit, ejcietur foras, sicut palmes: & are‑ scet, & colligent eum, & in ignem mittent & ardet. In his testimonijs, nullam in‑ uenio solius & solitariæ fidei, imò ve‑ rò in posteriore ne fidei quidem vllam fieri mentionem. Nam quòd ex Apo‑ stolo affers (licèt sequutus forsitā Era‑ smum corruptè videris attulisse: nec enim in ipsis etiā Græcis codicibus di‑ a pistin per fidē, sed en pisti in fide, vi uo filij Dei, legitur) nunquid tamen p solā fidem viuere se Apostolus dixit? Non certè: nec enim contradicere sibi‑

ipsi potuit: alio in loco apertè tuam re-
spuens adiectionem, cum inquit: Neq;
circumcisio aliquid valet neque præputiũ Gal. 5.
sed fides. (non sola nec ociosa) verùm
quæ per charitatem operatur. Et alibi. Si
habuero omnem fidem, ita vt montes trãs- 1. Cor. 13.
feram, charitatem autem non habuero, ni-
hil sum. Adeò nihil ex scriptura affertis
quod non vestra cõmenta, & adiun-
gendi aliquid adimẽdiq; audaciã pro-
dat. Deniq; an nõ consideras quàm ab
surdũ sit asserere, sola fide Christo nos
inseri & salutem assequi? Si enim fides
adiunctam habet charitatem, iam non
sola, sed cum charitate salutem ope-
rari dicetur. Si verò absq; charitate so-
la hoc efficit: tum aliquis prius esse iu-
stus poterit, quàm iustificationem &
peccatorum remissionem consequa-
tur. Quæris quo nam modo? quia sine
charitate, per quam peccator se à pec-
cato quidem auertit, ad Deũ verò con
uertit, nulla est peccatorum remissio:
iuxta illud, remittuntur ei peccata multa:
quoniã dilexit multum. At sola fides si- Luc. 7.
ne charitate secundum vestram doctri
nam iustum reddit peccatorem: iustus
ergo

ergo erit anteq̃ iustificetur, & peccatorum habeat remissionẽ. Quod quã à ratione alienam habeat cõtradictionem, turpe iudica. Quod si fidem cũ charitate omninò cõfundis & pro eodem accipis, ipsi repugnas Apostolo, qui toties hæc, tamq̃ disertis verbis, re ipsa & numero, & comparatione di-
1. Cor. 13. stinguit: Nunc autem, inquiens, manet fides, spes, & charitas: tria hæc, maior autem horum charitas. Posterius verò testimonium cùm ne fidei quidem vllam habeat mentionẽ: tu palmites sola fide in Christo manere, & vitali illo succo frui, sanctitatisq̃, vt tu dicis, ac innocentiæ vberes proferre fructus, perperam cõmentaris. Nam vt fructum huiusmodi ferant in illa vite: oportet palmites non sola fide, sed & charitate prędito esse. Hæc enim si desit: etiamsi p̱ fidem insertus sit, nullum feret fructũ: sed sterilis abscindetur, & in ignẽ mittetur. Sicut enim duplices in se esse Dominus palmites, ita & duplicem eorũ in se mansionem demonstrat. Alij sunt steriles & sine fructu, de quibus ait:
Ioan. 15. Omnem palmitem in me non ferentẽ fructum

ctum, tollet eũ. Alij fertiles, de quibus infert: & eum qui fert fructũ, purgabit eũ. In me dixit palmitem non ferentẽ fructum: vt nõ extra, ſed in ſe eſſe infrugiferos palmites oſtenderet. Quid enim tollendum, & excindendum Dominus comminaretur? priùs eſſe oportet inſertũ palmitẽ, quàm exciſum? quod enim inſertum non eſt, excindi quomodo poteſt? Eſſe itaq; in Chriſto palmites ſine fructu, quis ex his verbis non videat? vt facilè colligi poſſit malos etiam ſola fide Chriſto inſeri, & in ipſo, licèt paulò poſt excindendi ſit, manere: fertiles verò palmites vtrũq; habere, & inſitionem per fidem, & fœcunditatem per charitatem bonorumq; operum fructum, vt inde etiam duplex in Chriſto manſio deprehendatur: & illa per quã quaſi cute tenus tantũ palmites infructuoſi & mortui coherent, & illa per quam ſucco etiam vitali alũtur, florent, & germinant. Ad hanc alteram Dominus toties hortatur: vt nõ ſatis ſit nobis credendo tantùm in illo permanere: ſed etiam dilectionis vitali

ſucco, ex ipſius meritis hauſto, fructu bonorum operum illi cõiungi. De ſterili itaq; palmite, hoc eſt, credẽte, & nõ operante fideli, vtrumq; dici poteſt: & quòd in Chriſto non maneat, Charitatis coniunctione, & quòd in Chriſto maneat, ſola fidei profeſſione & aſſen ſu. Aperta autem te Domini verba expugnãt, quibus palmitem in ſe eſſe nõ ferentem fructum affirmat: vt vnâ eâdemq; ſententia, & malos eſſe in Chriſto per fidem, & ipſam fidem à charita te longis gradibus diſtare, eſſeq; ſine illa poſſe, perdiſcas. Qua de re plura libro tertio: nunc, quod ad propoſitum magis ſpectat, perſequamur. Non modò fidem ſolam ad coniunctionem cũ Chriſto, ſalutemq; conſequendam ſatis eſſe aſſeris: ſed eam etiam vnicum ſa lutis adipiſcendæ inſtrumẽtum vocas, cùm inquis: Sola eſt fides, qua tanq; vnico inſtrumento, Chriſtus animarum noſtrarum viuificus cibus apprehẽditur: per quã Spiritus Dei ſanctus nobis communicatur. Ex qua ſchola obſecro, ex quáue rerũ diuinarum diſciplina hæc nobis problemata obtrudis? videris teipſum tã-
tum

tũm consuluisse, cùm fidem ad causas instrumenti refers: & sicut in reliquis S. Theologiæ præceptis, ita in ordine causarum nostræ iustificationis cognoscẽdo, nullum te fidum adhibuisse magistrũ vel inuitus ostendis. Nam fidẽ, (quæ ẽ animæ interna virtus, & ad Deum, Apostolo teste, præparatio quædam) ad causas efficientiæ, inter quas instrumenta numerantur, reducere: eius est, qui nullum in rebus indagandis adhibet iudicium, & sua magis opinione, quàm peritissimorum Theologorum institutis ducitur. Sed ideò (nisi fallor: nam apertè te nondum prodidisti) vnicum salutis instrumentum Fidem vocas: vt sacramenta, quæ ipsa vera sunt salutis nostræ instrumẽta, excludas. per illa enim Deus, tanquam animæ nostræ extranea, gratiã nobis cœlestiaque charismata quæ in se continent, confert, & quasi per canales quosdam infundit, dicẽte Apostolo de Baptismo. Heb: 11.

Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea: vt illã sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Ephe: 5. Et alio loco: Saluos nos fecit, per lauacrum re- Tit: 3.

1. Pet: 3. generationis. Et Princeps Apostolorũ: Noe cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquã: quod & nos nunc similis formæ saluos facit Baptisma. Vt sicut per aquam, externum scilicet elementum, regeneramur in Baptismo: ita per species panis & vini, corpore Christi & sanguine in Eucharistia pascamur. Hæc sunt verè instrumenta: sine quibus, etiam si quis credat, & ea contemnat, nec cùm potest suscipiat, salus nemini speranda est

Ioan: 3. præcipiente Domino: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, nõ potest intrare in Regnum Dei. Qua de re audi quid D. Augustinus sentiat: Nec Sacramentum, inquit, visibile ideò contemnendum est: nam contemptor eius inuisibiliter sanctificari non potest. Hinc Cornelius, & qui cum eo erant, cum iam inuisibiliter infuso spiritu S. sanctificati apparerent, Baptizati sunt tamen. Et contra Faustum: Sacramẽtorum vis, inenarrabiliter valet plurimum: & ideò cõtempta sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas Et alibi: Sine dubitatione tenẽdum est: quæcunq; illa sanctificatio sit, non valere ad faciendos Christianos, atq; ad dimittenda peccata: nisi

In Leuit: q. & 84.

Lib: 19. cap: 11.

De pecçat: mer: Lib. 4 cap 12.

christiana, & Ecclesiastica institutione, & sacramentis efficiãtur fideles. Hoc est igitur, quò initio tendebat Sathanæ astutia: vt omnium sacramentorum, quæ sunt instrumenta parandæ salutis, & diuinæ illæ salutaresq́ medicinæ, Christi instituto ex eius sanguine ad sanandos animarum nostrarum morbos comparatæ, sine quibus vel earum voto, nemo saluatur, vsum omnem aboleret: prædicat & falsò persuadere hominibus conatur, salutis nostræ solam fidẽ esse instrumentum. Nam in principio primùm tria, deinde quinq; p suos ministros reiecit: duo tãtùm, ne simul õnia exterminasse videretur, & apertam proderet impietatem, reseruauerat, Baptismum scilicet & Eucharistiam: sed iam & illum per Anabaptistas manifestè sustulit: & per vos paulò occultiùs idem operatur. Cùm enim doceatis etiam sine Baptismo, fide parentũ saluari infantes posse, tacitè Baptismum ipsum aboletis: cui vim & efficatiã operandi salutem nullam tribuitis. Restabat solum Eucharistiæ sacramentũ:

ſed & hoc iam à vobis prius prophanatum vbi veritate illud ōni & vera Christi corporis & ſanguinis præſentia ſpoliâſtis: nunc verò prorſus iam etiam ſublatum eſt, cū ſine illo Chriſti corpus manducari poſſe, non obſcurè ſignificatis: idem eſſe docentes in Chriſtum credere, quod Chriſti corpus manducare. Cuius ſententiæ impietas totum hoc ſacramētum euertit. Quem enim fructum affert Euchariſtia, ſi hoc ſola fide habetur, quod ab ipſa expectatur? Quod cùm falſum ſit & peſtilens dogma, ex quo tu tertium illud tuum fundamentum conſtituis, expugnandum eſt, vti recepimus.

CAP. 3. In quo tertium Volani fundamētum euertitur.

Dicis ergo idem eſſe in Chriſtū credere, quod carnem eius mañducare & ſanguinem bibere. At vnde tàm falſa probas? Chriſtus, inquis, illa quæ de mãducatione corporis ſui prolixè diſſeruit, ad fidem retulit: cùm dixit, Amē Amen dico vobis: qui confidit in me, habet vitãæternam. Vbi verò hoc ita fecit? ſi hanc illis apud D. Ioannē Chriſti verbis ſententiam attribuis, prorſus

erras

erras. Non enim ibi hæc verba reperiſti, nec Chriſtum dicentem audiſti: mãducare corpus meum, eſt idem quod in me credere. Tua ſunt hæc & tuorũ deliria, non Chriſti verba: nec vllus eorum ſincerus ſenſus, ſed à te cõficta & contorta interpretandi calumnia. An quòd Dominus doceat, qui credit in me habet vitam æternam, ideô, ſolam fidem ad ſalutem obtinendam ſufficere, & nil amplius requiri â nobis dices? Non certé, vti probatum eſt. Nam & præceptorũ Chriſti cuſtodia adſit credenti neceſſe eſt: quæ & ſacramentorum etiam vſum includit: iuxtà illud. Baptizantes eos, & docentes, ſeruare omnia quæcunq; præcepi vobis. Diſtinctè igitur ſaluator de fide quam docuit, & de corporis ſui manducatione, quam in Euchariſtia inſtituit, loquutus eſt: cùm fidelibus & in ſe iam credẽtibus Apoſtolis, ſuum ſe corpus ad mãducandum daturũ promiſit: Panis, inquit, quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita. Credebant Apoſtoli: & tamen corpus Chriſti necdum mã-

Matt: 28.

Ioan. 6.

ducabant. promissum enim tum, in sola verò vltima illa cœna exhibitũ hoc fuit beneficium. Credunt & nunc Catechumeni, sed corpus Christi nõ mãducant: imò ab illius etiam aspectu in diuinis mysterijs arcentur. Cuius est obsecro gratitudinis nouum hoc & immẽsum beneficium cum fide confundere? Quid enim Christus Apostolis se daturum reciperet, si hoc iam credẽtes habuêre? An liberalitatis est id dare quod habetur, & haberi semper sine nouo beneficio sola fide potest? Quid desiderandum erat & ipsi Domino dicenti: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscũ: & in illis viris desideriorum, fide iam in Christum feruentibus, quid tantæ expectationi responderet, si ex illa vltima diuini Testamenti cæna, nulla fuit accessio, nulla noua liberalitas insolita aliqua munificentia commendata? Prorsus denique superuacanea erit diuinæ Eucharistiæ institutio, & in illa verba, quæ proculdubio ex isto vestro dogmate cõsequũtur prorũpet impius, Quid mihi cum Eu-
charistia

chariſtia ſi fide mãduco? Quid mihi cũ pane & vino, quid cum conſecratione & benedictione myſtica panis & vini, ſi & in carnibus & in pomis, & in omnibus deniq; eſcis hæc mihi ſigna manducationis conſtituere, & fide ſola Chriſti corpus manducare, vbi & quotienscunq; libuerit poſſum? Atq; ita totum conſilium & inſtitutum Chriſti in hoc ſacramento diuiniſſimo, hæc ſacrilega ſententia contemnit, & ad vnum illum Sathanæ deſtinatum ſcopum tendit, vt vſus excellentiſſimi huius Myſterij aboleatur. Sufficiet præterea Baptiſmus, qui Fidei ſacramentum dicitur: nec alio ſacramento, in quo Chriſti corpus manducetur indigebimus, ſi illud per ſolam fidem manducatur. At magna eſt Euchariſtiæ ſuprà Baptiſmum, noua ſingulariſq; neceſſitas. Ad Baptiſmum veniunt, qui ante fuêre infideles vt viuant: ad Euchariſtiam verò, vt vitam cõſeruent & creſcendo augeant. Illic militiæ aſcribũtur: hîc Regis paſcuntur conuiuio. Illic illuminãtur: hîc ad amorem Chriſti accenduntur.

Illic nuptiæ contrahuntur: hic coniungitur spõsæ spõsus, & intrà sancta sanctorum, intrà ipsum velum, & Regis thalamum fidelis spõsa recipitur. Illic fide viua, hic & re ipsa fit coniunctio.
Hom: 61. ad pop: Audi quid S. Chrysostomus dicat: Vnũ inquit, corpus sumus & membra ex carne & ossibus eius. sequamur autem iniciati quæ dicuntur. vt ergo non tãtum per Charitatem hoc simus verum & ipsa re in illã misceamur carnem: hoc per escam efficitur quam largitus est nobis volẽs ostẽdere desiderium quod erga nos habet. Et alibi. Nõ satis fuit homo fieri colaphis cœdi & iugulari, verum & semetipsum nobis cõ-
Hom. 60. ad pop. miscet: & non fide tantum, verum & ipsa re nos suum efficit corpus. Quàm alto sublimioriq́ gradu coniunctionẽ quæ cum Christo est per fidem, à reali hac in sacramento corporis Christi manducatione, vbi de his mysterijs populum erudit, D. Chrysostomus distinguat, tu ipse considera, & confundere adeô inter se distantia noli. Summa certè & noua beneficia per S. Eucharistiã cõferuntur, quæ haberi per fidem non possunt. Itaq́ sicut sine Baptismo renasci, ita sine Eucharistia Christi mandu-
care

care corpus, modo à Christo in vltima Cœna instituto non possumus. Sicut enim non fides, sed Baptismus est regenerationis vterus: ita non fides, sed Eucharistia manducationis corporis Christi, est mensa & officina quædam, ad hoc ipsum à Domino instituta, vt in ea, non extrà eam, diuinus iste cibus sumatur. Si præterea efficere sibi re ipsa existens Christi corpus nullius fides potest, sed illud tantùm omnipotentia verbi productum in sacramẽto fiat: quomodo manducabit quod non est, nec per ipsam effici potest? Nam quod vos Caluinistæ dicitis: ad hoc solum esse institutum Eucharistiæ sacramentum, vt per ista externa symbola, fides excitetur & augeatur, eiusq; professio exerceatur: hoc summam habet vanitatem. longè enim meliùs & fructuosiùs, prædicatione verbi Dei, aliisq; viuis documentis, quàm per muta elemẽta excitatur & exercetur, & per verba & linguæ sonos, declaratur fides. Adeo sacramenta Euangelica, à prædicatione & confessione nihil dista-

re docebitis? adcò omnem Christi sapientiam & in eis instituẽdis Ecclesiæq́ relinquendis consilium reprehẽdetis? Porrò quod D. Augustinum tecũ sen-
Lib: 3. cap: 16. tire dicis, & ex illo loco de Doctrina Christiana asserere audes, docere virũ sanctum, Carnem Christi edere & sanguinem bibere, idem esse quod passioni Christi per fidem communicare: hoc constare non potest, nec ex illa sententia iste sensus deprehẽdit in qua cũ tu addas illa verba, per fidem, ego in referendis Doctorum sententiis tuam requiro fidem. Nam apud D. Augustinum hæc verba non inuenio: Nisi, inquit, manducaueritis carnem filij hominis & sanguinem biberitis, nõ habebitis vitã in vobis: facinus & flagitiũ videtur iubere. figura est ergo præcipiẽs passioni Domini esse cõmunicandũ, & vtiliter recõdendũ in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa sit & vulnerata. Dicat ne hic D. Augustinus, idem esse Corpus Christi manducare, quod in Christum credere, si quis menti tuæ pudor inest, ingenuè agnosce. Lector certè agnoscit tua hæc esse cõmenta, & parum fidam

adiun-

adiunctionem. Ex his autem verbis di
ſcimus: Capharnaitis, & ſimilis ingenij
Caluiniſtis, tibiq́; etiam eorum diſcipu-
lo, qui flagitium & ſcelus eſſe putas, o-
re corpus Chriſti manducari: verba il-
la Domini, quibus manducare ſuum
corpus præcipit, non modo figuram,
ſed etiam ſtultitiam eſſe. Cruento enim
modo cum ipſius Chriſti vulnere & in
iuria ſuiq́; corporis conſumptione, hãc
eſſe manducationem, ſicuti Capharna-
itæ, imaginamini, cum dicitis, iam pri-
dem conſumptum Chriſti corpus eſſe
oporteret, ſi in ipſa rei veritate mandu-
caretur. Carnales & ſine intellectu, fi-
de vacui, diuinam omnipotentiam nõ
ſpectatis. Nos verò quia cum D. Au-
guſtino, vti poſteà audies, ſine occiſi-
one Chriſti, & ſine vlla corporis eius
ſanctiſſimi iactura, illud ipſum corpus
in myſterio & ſub aliena ſpecie, man-
ducamus, nullum facinus timemus:
ideò nec illa figura ad excuſanda eius
ſalutaria præcepta indigemus. Imò il-
lis aſtricti, fidei & obedientiæ præmia
in mãducando conſequimur. Vt autẽ
huius

huius tui erroris medullas ipsaq; viscera eruamus, aliquid iam de spirituali, & sacramentali, Christi corporis manducatione, dicendum est: quam si tu ignorans confundis, venia dignus es: si verò volens prudensq; pro eâdem accipis, quam distingui debere non ignoras, insignem nocendi alijsq; imponendi voluntatem declaras. Vt autem priùs de spirituali corporis Christi manducatione loquar: hæc duplex esse extrà ipsum Eucharistiæ sacramētum agnoscitur. Altera est, quæ nullam ad Eucharistiam habet relationem, estq; figurata prorsus: vt cùm aliquo dono cælesti, ex Christi merito corporeq; & sanguine promanante, anima fruitur, manducare & bibere reficiq; dicatur.
Ioan. 7. Tale est illud saluatoris. Si quis sitit veniat ad me & bibat. qui credit in me, sicut
Ioan. 4. dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et illud. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æter-
Ioan. 4. num. Et illud: Meus cibus est vt faciã voluntatem eius qui misit me & perficiam o-
Ioan. 6. pus eius. Et quod tu vsurpas: Qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me,
non

non sitiet. Et illud sapientiæ: Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Et alia quàm plurima in sacris sentētijs obuia: in quibus figuratè prorsus, & sine vlla ad Eucharistiā cōparatione mens nostra manducare & bibere reficiq; sumpta ex cibo corporis analogia, dicitur, cùm dono aliquo cœlesti perfruitur. Talia sunt pleraq; & apud D. Augustinum, quale est illud: Qui credit in eum, manducat eū. Hæc spiritualis manducatio & potatio in qua anima quocunq; cælesti dono & spiritus S. consolatione refecta, Christum manducare perhibetur: cùm prorsus tropica sit, & ad omnia referri possit: nil omninò ad nostrum propositum pertinet. In qua cùm tu hîc incautè versari & hærere videaris: longè à scopo diuagari te inanibusq; tuæ mentis figurarum vmbris deludi, nō vides. Quid enim cum hac nobis rei est, quæ ad Cænæ Dominicæ institutum nō spectat, ipsáq; S. Eucharistia nihil cum ea habet commune? Talis enim manducatio per omnes fidei articulos donaq;

Ecclе. 24.

In Ioan. Trac. 25.

omnia spiritualia, extra sacramenta, vagari & misceri incerta potest. Alius porrò spiritualis est Christi corporis esus, qui licèt extra sacramentum sit totus tamen ad Eucharistiam refertur: in quo licèt ipsum Christi re existẽs corpus non sumatur, fructus tamen manducationis, qui est coniunctio cũ Christo possidetur: cùm scilicet, moribunda & famelica anima ad mensam sibi à Domino propositam, ardẽti desiderio accelerat, vt in Eucharistia verum Christi corpus edat, & sanguinem bibat: sed quoniam aliqua fortè necessitate vel casu intercedente à sacramenti vsu exclusa est Christi sacramentorum Domini & authoris, qui bonam coronat voluntatem, supplet liberalitas, quod ipsa necessitas ademit: & sacramentalis manducationis confertur fructus: vt præter sacramentum, non tamẽ præter sacramenti votum, sicut & in Baptismo fit, corpus ipsius spirituali modo manducetur, hoc est, fructus realis mãducationis aquiratur (licèt non tàm ãpla dona consequatur ille, qui se spiri-

tuali esu, Christi corpore in voto & desiderio sacramenti, refecit: atque ille qui sacramentalem etiam & realem Christi corporis manducationem adiunxit.) De hac D. Augustinus id quod tu etiã affers: Quid paras, inquit, dentem & ventrem crede & mãducasti. Quibus verbis tu ad excludendam sacramentalem manducationem, solamque spiritualem per fidem statuendã abuteris. Nõ enim abolere sacramentalẽ, & qui ore etiam perficitur Christi corporis esum hisce verbis vir sanctus voluit: sed docuit, si illa desit non esse omninò desperandum, nec corporali & sacramentali manducationi tantum confidendum sicut enim illa non sufficit imò officit, si fides viuida virtutibus, sanctisque desiderijs adornata, defuerit: ita vbi hæc aderunt, nec sacramenti ipsius neglectus & contemptus intercesserit, fructus ipsius manducationis deesse non poterit: vt ita corpus Christi spiritualiter manducetur bibaturque illius diuinus sãguis Sacramẽtalis porrò Christi corporis mãducatio, quæ bonis æquè ac malis, li-
cet

cet diſpari fructu communis eſt, in ſa- cramento illa ſola realis eſt: & à Chri- ſto in ſacra Euchariſtia inſtituta. De qua Auguſtinus: Carnem Chriſti & ſan guinem, inquit, non edamus tãtum in ſa cramento ſed vſq; ad ſpiritus participatio nem. De hac vna rẽ nobis hîc eſſe, Vo- lane, memineris: hanc nos ſolã à Chri- ſto in Euchariſtia inſtitutam & præce- ptam aſſerimus: & ita neceſſariam pro bamus, vt ſine illa, hoc eſt, ſine Eucha- riſtiæ ſacramento, nullo prorſus mo- do verũ & re præſens Chriſti corpus, quod illa tantùm continet atq; exhibet, à quoq; manducari poſſit. In qua bo- nus ad vitam, malus ad exitium vnum & idem Chriſti corpus, vti infrà proba bimus, manducat. Vidimus itaq; quo fine & quàm firma tuis extruendis opi nionibus fundamenta ieceris: iam ad ſtatuendam probandamq; Trãſſubſtã tiationẽ tranſeamus. qua cõſtituta, pu- eriles illæ tuæ rationes quas in ipſa frõ te, Tranſſubſtãtiationẽ impugnaturus à deſcriptione ſacramẽti petitas, collo- càſti, nullo negotio deſtruentur.

In Ioan. Trac: 27.

Audes

Audes itaq; affirmare, Volane, Dei & saluatoris nostri diuina verba illa cũ in Cæna acceptum panem gratias agẽs benedixit, dicens: Hoc est corpus meũ (de calice, ne frequentior sit repetitio, idẽ me semper dicere existima) significasse tantùm hoc est nihil re ipsa existens effecisse, nec substãtiam panis immutasse sed inanes sonos omni ad operandam virtute destitutos habuisse: vt ideo figuratum te illis dicẽdi modũ affingere & pro vero corpore figuram signum, & symbolum corporis interpretari, simplicemq; Domini sententiã deprauatis opinionum cõmentis, calũniari sit necesse. Quæ interpretatio noua, inusitata, peregrina, nec vnq; ab Ecclesia vsurpata, imò multis ante seculis condemnata, & totius orbis calculis ad hæc vsq; nostra tempora execrationi & diris deuota, incredibilem quidem tuam audaciam, sed horrendum prorsus exemplum declarat: vt maior nobis in illa conculcanda facilitas adhibenda sit: quàm tua in ea proferẽda leuitas fuit. Quæ enim te vel scripturæ

CAP: 4. In quo ex verbis Christi Trãssub: probatur

Interpretatio Sacramẽtariorũ antiquitus dãnata.

ſacræ, vel conciliorum, vel conſentiẽs Doctorum authoritas ad verba diuina tàm aperta hac adulterina interpretatione polluenda compulit, nõ dicis. Dominum & Deum meum dicentẽ, Hoc eſt corpus meum, audio: & Volanum reclamantem ſuſtineo: Non eſt, inquit corpus, ſed figura & ſymbolũ corporis. Cuius eſt hoc ingenij, vocẽ veritatis negligere, & figmenta proprij cerebri ſtatuere: aperta verba Dei relinquere & commenta humana ſectari: Dicẽte Domino, Hoc eſt corpus meũ, quis contradicere & dubitare audeat? Nemo arbitror, niſi vel ſeductor ille antiquus qui Deo dicente, Moriemini: nequaquam moriemini, reſpondit: vel prorſus infidelis, qui Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum & omnipotentem eſſe Deũ pernegat. Quærere enim in his tàm apertis verbis figuras, vel obſtinata temeritas ſeducendiq; ſtudium: vel in re humanis viribus impoſſibili, credendi difficultas perſuadet. Ante ſeptingentos annos clamarũt orthodoxi, & cum horrore hanc interpretationem

Gen. 3.

Deo potentiam ſubtrahũt Zuingliani.

hem execrati sunt: Non est, dixit tunc quidã, (vti inferiùs audies) figura corporis panis: absit enim hoc: sed est ipsum corpus Domini deificatum, ipso Domino dicẽte, Hoc est corpus meum, non figura corporis: & Volanum hoc seculo natũ & in Hæresi institutũ, patiemur perstrepentem & cum serpente illo sibilantẽ: Non est, inquit, corpus, sed figura corporis? Quæ est hæc & cui comparanda audacia, imò quæ mentis alienatio? Hîc meritò illud contrà te vsurpandũ est: Si quis apposuerit ad hæc, apponat super illum Deus plagas scriptas in libro isto. Videtur ne tibi hæc maledictio formidanda non esse, vt impunè laturus sis quod verbis saluatoris, figuram, signum, symbolum apponas, & sensum prorsus alium, quàm tantus author Deus & homo voluit, inducas? Consideret in primis pius lector, ipsũmet Dominum Deum nostrum omnẽ amphibologiam ab isto verbo, Corpus meum amouisse: proprioq; & simplici loquendi modo dicere se demonstrâsse, cùm vltrà nomen ipsum corporis, quod latitanti sub speciebus substã

Apo: 22. Zuingliani apponunt ad scripturã.

tiæ tribuit, declarationem etiam adiunxit, dicens: Hoc corpus est quod pro vobis tradetur. sicut enim vbi nomẽ Ioannis vsurpamus, ad Baptistàm ne an ad Euangelistam referatur ambigere possumus: si verò Ioanni, Baptistam adiungimus, iam Euangelistam exclusimus: ita cùm nomen corporis vel ad figuratũ corpus, vel ad verũ referri potuit: figuratũ & significatũ Dominus excludẽs, adiunxit, quod ꝓ vobis dat. Quæ adiũctio omnẽ amouet ãbiguitatẽ, & verũ sensum tãti authoris declarat: hoc enim dare se dicit, quod est crucifixum. Quis enim non Manichæus figuratum pro nobis traditum dixerit? Si ergò verum & reale pro nobis est in ara crucis oblatum: hoc ipsum est in Eucharistia sub speciebus panis discipulis porrectum. Nec nomen solum, & omnẽ amputans figuram interpretatio, sed & effectus ipse re existentem Christi sanguinem exhibitum in calice declarat, cùm inquit, Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorũ. Quis

Christus amphibologiam ex verbis suis exclusit.

Matt: 26.

Quis enim figuratum sanguinem expi
are & abluere peccata posse non nisi
excors affirmârit? solus Christi verus
non adumbratus sanguis emundat cō 1. Ioan. 1.
scientias nostras: ille idem ergo in cali-
ce ad bibendum datus est. Non quidē
cum vino: vera enim propositio non
esset, Hic est sanguis meus: cum poti-
us dici debebat cum hoc, vel sub hoc
vel in hoc vino est sanguis meus: vini
itaq; in sanguinem quo peccata remit-
tuntur conuersionem sequi necesse est
Quæ cum non sit secundum acciden-
tia vini, conficitur, illam in substantia
esse. Trāssubstātiatio igitur Christi ver- Trāssubstat.
bis statuitur. Cùm præterea permul-
tos sacræ scripturæ locos constet, diui-
num verbum ita efficax esse, vt res ip-
sas sola voluntate producat & immu-
tet: (Dicit enim & fiunt, mandat & cre Psal: 148.
antur: cùm sit penetrabilius omni gla- Heb: 4.
dio ancipiti) statuere omninò oportet,
eandem vim diuina hæc verba in pane
habere, vt efficiant quod volunt. Quæ
virtus verbi Christi alijs est etiam per-
multis exemplis cōprobata dixit enim,

Dei verba efficiunt id quod volunt.

Respice: & hoc sermone cæco oculos
Luc: 7. restituit: & puellæ atq; adolescēti, Sur-
Mar. 9. ge, & Lazaro, Veni foras, dixit, & vi-
Ioan. 11. tam illis dicendo contulit, mortuosq;
Matt. 8. suscitauit. Dixit verbo, & puer centuri
onis sanatus est: dixit, Filius tuus viuit
Ioan. 4. Regulo, & restitutus est omnipotenti
sermone Christi. Quid ergo obstabit,
vt non eadem sit verbi illius per quod
facta sunt & fiunt omnia efficacia in pa
ne, de q̃ in sanctas & venerabiles ma-
nus suas accepto pronunciat: Hoc est
corpus meum? quare sermo iste Dei
id quod vult nō efficiet? Efficiet certe:
Luc: 1. nec erit quod diuinæ eius virtuti, cui
nihil est impossibile, obsistat. Et ne cū
pane vel cōiunctum pani corpus Chri-
sti effectū dicatur, nō dixit Dominus:
Cum hoc pane efficio & exhibeo vo-
bis meum corpus: sed ipso pane acce-
pto, Hoc est corpus meum, dixit: aper
tissimè inculcans, panem quem demō
strabat eius diuina iussione & volunta
te in corpus suum esse cōuersum. Quæ
conuersio cum non sit accidentiū, quæ
integra manent: sed substantiæ panis
quæ

quæ mutatur in corporis Christi substantiam, iure optimo Trãssubstantiatio dicitur. Quæ certè abnegari, sine cõtumelia diuinitatis Christi non potest. Si enim eius verbum inefficax esse, & sonos tantùm omnibus ad operandũ viribus vacuos habere, & non dicendo efficere affirmabitur: Deus esse p culdubiò non credetur. Quo grauissimo perfidiæ scelere eum obstringi, necesse est, qui se huius admirabilis p verbum Christi conuersionis inimicũ declarat. Cùm denique Christus diuinam suam benedictionẽ pani & vino contulerit: & ea in manus accepta benedixerit: absurdum est, & Domini potentia munificentiaque indignum, nil creaturas, suscepta Dei benedictione diuinum in se deriuare, & non in id quod ipsa vult, commutari. Quinque panibus & exiguis piscibus in deserto benedicit Dominus, & illi mox in innumerã excrescũt multitudinẽ, qua quinque milia hominum explent famem: & in pane Eucharistico, qui tanta authoritate benedicitur, nil diuinũ & admira-

Trãssub: negari, sine Christi contumelia nõ potest.

Benedictio Dei res immutat:

Matt: 14.

 bile

bile agnoscemus? superuacaneam ne in illo Dei benedictionem existimabimus: quæ illum in id quod ipsa vult, in cibum scilicet & panem vitæ æternæ salutisq; nostræ cõmutet? Huic sancti patres benedictioni consecrationis nomen tribuerant: & tantam vim, vt potentiæ diuinæ, ei inesse crediderunt, vt naturas etiam commutare queat: vt id quod natura panis est & vinũ post susceptã benedictionem & cõsecrationem, nõ id sint quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, corpus scilicet & sanguis Christi. Mutatur ergo Dei benedictione panis, non secundum accidentia quæ manent immutata: relinquitur ergo secundum substantiam id fieri, nec de Trãssubstantiatione dubij quicq; relinqui posse. Iste quidem est simplicissimus Christi verborum Trãssubstantiationem stabiliens sensus, cui tam sublimi diuinaq; authoritate confirmato, omne ingenium ratioq; cedere & fidei obsequio subdi deberet: sed non ita cœcus in meridie, sicut in tam planissimis Domini verbis Hæretica

Cõsecratio naturas mutat.

tica æxcutit superbia: quam licèt nulla domare posſit authoritas, (quã enim diuina ipſa maiorem cõtrà eos quære mus?) tamen quòd ſanctorum etiam patrum ſententijs ſua commenta iſti figurarum Doctores contegũt: velamẽ, hoc illis auferemus: & quàm clarè diuini illi rerũ ſacrarum interpretes, Trãſſubſtãtiationis in Euchariſtia profeſſi ſint fidem, demonſtrabimus. Volanus quidem vt illam ſuam commentationem, qua pro corpore Chriſti ſignum nobis & figuram corporis obtrudit, confirmet: ad ratiotinationes quaſdam, a deſcriptione ſacramẽti petitas, quas diuinorum verborum claritati apponeret, cõfugit. Quas ſi ſpectemus, & quid ſit tam magnum quod illam ab hac diuinæ vocis perſpicuitate, Hoc eſt corpus meum, ad tam trãſuerſos ſenſus abducit viderimus, vehemẽter admirabimur. Rationes quas primo loco ponit, fidem illius quam Deo etiam in difficilibus & omnem rationẽ ſuperantibus debebat, proſtrauerunt. O mobilitatem arundini comparandã.

Hæreticis leuis ratiocinatio fidẽ eripit.

Quid rationi cum fide, quæ sola dicentis authoritate innititur? Deo credere & coniecturas rationis postponere, vera est in diuinis philosophandi ratio. Adeò Hæreticorum est, & eorum qui fidei Catholicæ fundamenta non benè possident, nec in eis stabiles persistunt leui aliquo argumẽtationis laqueo succumbere: & in sui ingenij infælici partu vel idolo potiùs conquiescere. Verus certè Catholicus, omni ratiocinatione contẽpta, id quod Deus per Ecclesiam pronunciat, constantissima fide simplicią; cõfessione profitetur. Si verò in ijs quæ authoritas tradit, vera ratio quæ nõ potest diuinæ veritati opponi, aliquid addit: vltimò illa loco tradenda sunt, non quasi probandi argumenta, sed tanq; rei illustrandæ adiumenta. Itaq; Trãsubstantiatione, quã tu ratiunculis & coniecturis quibusdã in ipsa fronte impugnas, authoritatibus sanctorum patrum confirmata & constituta: tuum tàm præposterum ordinem condemnabo: tuarumq; argutiarum sophismata, quid doli habeant

Vera philosophãdi in diuinis ratio:

detectu-

detecturus in calcē libri huius reijciā. Orthodoxos itaq; Trāſſubſtātiationis in diuina Euchariſtia aſſertores afferamus: & primùm, quid ſinguli in diuerſis multumq; a ſe disſitis orbis plagis, varijsq; ætatibus conſtituti, vno ſpiritu cordeq; crediderint, & vno ore confesſi ſint: deinde quid coacti ſimul in Concilijs tradiderint, videamus.

Et de nomine quidem Tranſſubſtātiationis proculdubiò mecum contendiſſes: & ad illud, eò quòd in ſcriptura non conſtet, exhorruiſſes: ſed vos veſtri Anabaptiſtæ & Antitrinitarij docuerūt, imò edomuerunt, vt aliquid q̄d in ſcriptura expreſſum non ſit, ſi modò res admittat, cōcedatis. Ita enim, Trinitatis, Cōſubſtantialis, Perſonæ, naturæ, nomina libenter iam veſtro edocti periculo, licet ea ſcriptura non habeat expreſſa admittitis. De re ergo certemus, an ſit aliquando ante magnum Lateranenſe Concilium, ab orthodoxis antiquisſimisq; Eccleſiæ Doctoribus, in pane Euchariſtico ſubſtantialis mutatio agnita, aſſerta, & prædicata. CAP: 5.

prodidit

Prodibit ergo primùm ſicut te velle intelligo, ipſe D. Auguſtinus de quo potiſſimum ſuſcepta mihi tecum eſt contentio: cuius primam mox pro Trãsſubſtantiatione vocem afferam: ſi hoc vnum præmiſero, quã vana ſit & ſimplicibus mentibus imponens veſtra oratio, qua in fidei regulis, ſequi vos orthodoxorũ authoritatem aſſeritis: cũ illos potius veſtro ſat iniquo & leui iudicio, ceu omnium cẽſores ſubijciatis.

Heretici falſò ad Doctores prouocant.

Qui quàm lõgè ab illa humilitate, quæ intellectũ etiam aliorum arbitrio permittit, diſtetis, vel hoc vnum indicat, quòd nec totius orbis Chriſtiani in ſacris Concilijs ſententiæ veſtras opiniones ſubiectas eſſe vultis: quomodo igitur vnius aut alterius Doctoris iudicio cederetis? Nam quantum D. Auguſtini doctrinam & de rebus fidei grauiſſimam ſententiam, contemnatis, ex eo quiſq; deprehẽdet, ſi à te Volane quæ ſierit: Cur D, Auguſtini, cuius ad tollẽdam Trãſſubſtantiationem ipſamq; in Euchariſtia Corporis Chriſti verã præſentiam abnegandam, ſequi te authoritatem

Hæretici nullius ſe iudicio permittunt.

ritatem dicis: in alijs quæ apertissimè docet, illam prorsus repudias? cur nec sacrificium Missæ, nec sanctorum inuocationem, nec sedis Romanæ Petrique Cathedræ in qua ipse primùm sedit authoritatē nec reliqua item, de quibus ille tam magnificè, tam apertè luceque ipsa clariùs sentit, admittis, & ea ipso duce non honoras, sed insectaris potius & cōtemnis? si fidum illum Doctorem & tubā spiritus S. existimas, quomodo in his mentitum esse putabis? Aut si in his fidem prodidit, quomodo in alijs dignus fide iudicabitur? Huic tu quæstioni ita cum tuis respōdes: Nō omnia quæ dixit & scripsit Augustinus vera te arbitrari: sed illa tantum ab eo recipere quæ cum scriptura sacra consentiant. Quæ responsio satis ostendit, quòd non D. Augustini authoritas, sed tuum tibi de illius scriptis iudicium placeat; vt magno quodam supercilio secundùm ne scripturam loquatur, te ipsum in scripturarum peritia interpretandique fide ipsi præponens supremum te non D. Augustini tantùm sed omnium

etiam & ipsorum conciliorum iudicē cōstituas. Ideò vel in magistro tuo Caluino (in alienis enim facilius nostra contemplamur) hanc animi elationē & dicendi vanitatem considera. Nam nunc quidem suam de Eucharistia & reliquis doctrinam refert D. Augustino acceptam: nunc verò eum impijssimum inuocationis sanctorum Doctorem vocat. Tanti fit apud vos veneranda patrum in doctrina puritas: vt nisi ea quæ effinxistis approbent, omnem illorum quam reuereri videmini authoritatem conculcetis. Hinc est quòd in fidei articulis, si quid cum Ecclesia Catholica cōmune habetis, nō ex fide credere vos, sed ex vestra electione, vnde etiam Hæresis dicitur, opinari certò cōstat. Nam cùm quædam ab Ecclesia à qua & ipsi Angeli discunt, audiētes recipiatis, alia verò reprobetis non voce & authoritate diuina quæ per Ecclesiā loquitur permoti, sed vestro tantùm freti iudicio, res quas credere vos existimatis, arbitratu vestro deligitis: ideo carere vos fide etiamsi sanctissimam Trinitatē

Caluinus D. Augu: contemnit.

Hæretici carēt fide

Triniatem confiteamini, sed vestra tãtum opinione abduci, meritò prędicamus. Sed iam D. Augustinũ pro Trãssubstantiatione loquentem audiamus. Nos autem: inquit, in specie panis & vini quàm videmus, res inuisibiles, id est, carnẽ & sanguinem honoramus: nec similiter cõprehendimus has duas species quemadmodum ante consecrationem comprehendebamus: cum fideliter fateamur, ante cõsecrationem panem esse & vinum quod natura formauit, post consecrationem verò carnẽ Christi & sanguinem quod benedictio cõsecrauit. Qualem mutationem in pane Eucharistico hisce verbis agnoscat D. Augustinus, apertius est, quàm vt tua possit, Volane, interpretatione, tam iniqua obscurari. Tria enim docet, & quando hæc mutatio fiat, & qualis sit, & qua virtute conficiatur. Nam fieri eam post perfectam consecrationẽ, quæ illis verbis efficitur: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, agnoscit cùm inquit. Ante consecrationem panis est & vinum, post consecrationem verò caro Christi & sanguis. Qualis autẽ sit vbi iam benedictio est subsequuta edocet, cum ait: Nos in specie panis & vini quã

Primus locus pro Trãsub: D. Augu.

Senten: prosp. De cõs: di. 2.

videmus res inuisibiles, id est carnẽ & sanguinem honoramus. Non dixit in pane corpus Christi honoramus, sed in specie panis: clarissimã inter species quæ videntur nec mutantur, & substantiam panis, quæ nõ videtur & in Christi mutatur corpus, distinctionem, quam tu illum nunquam somniasse, vide quàm verè dixisti, constituens: vt substantialem prorsus mutationem hanc esse tradat, & illis etiam verbis confirmet: cùm ante consecrationem in pane agnoscit id quod produxit natura, post consecrationem verò id quod consecrauit benedictio. Quæramus igitur quæ sit vis benedictionis, & quæ mutatio in pane postquam benedictionẽ Dei & cõsecrationẽ accepit, consequatur: & respondẽtem docentemque infrà D. Ambrosium audiemus. Probemus, inquit, non hoc esse (in pane scilicet & vino) quod natura formauit, sed quod benedictio consecrauit: maioremque esse benedictionis vim, quam naturæ: quia benedictione etiam ipsa natura mutatur. Hoc à præceptore suo accipiens D. Augustinus dixit: ante consecrationẽ esse in pane, id quod

Accidẽtia panis à substãtia discernit D. Augu:

Quæ sit benedictionis diuinæ vis.

De ijs q mysterijs ini. ca: 9.

natura formauit: post consecrationem id quod benedictio consecrauit. Quid verò hoc est quod vis benedictionis & diuini verbi virtus in pane operat͂? naturam scilicet panis immutat, & in Christi corpus cõuertit. Ita enim mox eum in altero testimonio dicentem audiemus: virtute spiritus S. corpus Christi & sanguis, ex panis & vini substantia efficitur. Et in alio: Hanc inqt substantiã efficit carnem, & transit vinum in sanguinem vim ergo tantam cum D. Augustino diuinæ benedictionis & omnipotentis eius verbi seu consecrationis agnoscamus necesse est, quæ naturam panis & vini immutat. Quæ mutatio cum non sit secundum visibiles species, quas manere & videri asserit, relinquitur illam secundùm substantiam esse sicuti clarissimè confitetur: ex substantia, inquiens, panis & vini, corpus & sanguis Christi efficitur. est igitur iuxta D. August. Trãssubstantiatio. Tu verò, quid diuina consecratio & benedictio omnipotentis verbi possit, non spectâsti, vel considerare noluisti: sed egregius Trãssub.

tibi Dialecticus videris, cùm D. Augustino hanc propositionē tribuis: quasi dicere vellet, post consecrationem, panis ē corpus Christi, appellatione sola & figura, quòd scilicet significet ipsum Christi corpus. Absit. ad tuam libidinē est hæc detorta interpretatio. vt quid enim mentionem consecrationis & diuinæ benedictionis fecisset, cuius tantam vim esse agnoscit, vt ex substantia panis corpus Christi efficiat? Non ferenda enim est hæc diuini verbi extenuatio, quòd ad significandum tantùm, & non ad operandum sicuti humanū adhiberetur: imò, execranda hæc esset in Dei verbum ipsamq; Christi diuinitatem cōtumelia. Nec dicit hoc loco D. August. vti tu fingis: post consecrationem, panis est corpus Christi: sed, illud quod ante cōsecrationē erat naturâ panis, post consecrationem est corpus Christi: vel, vti ex D. Ambrosio audies, de pane fit caro Christi. Nam nec ipsa consecrationis forma hoc admittit: quæ non hisce verbis fit: Hic panis est corpus Christi: sed ipse Christus acce-

Diuinum verbū qd ab humano differat.

pto

pto pane inquit: Hoc est corpus meū Hoc scilicet, quod sub speciebus panis occultatur. Quod de substantia intelligi nemo cōpos mentis ambigit. Quòd si hoc sensu dicatur, panis post consecrationem est corpus Christi, quasi diceremus factus est iuxtà substantiam corpus, Christi: vera erit prædicatio, propriusq; dicendi modus ab omnibus figuris & tropis omninò liber. Si enim in pane natura & substantia in ipsum re existens Christi corpus mutata est, quomodo figuratè hoc de illo pronunciabitur quod re ipsa est? poteritne de homine viuo eodem sermonis tenore, sicut de picto dici, quòd homo sit? Minimè. Eodem modo si mutari panem Eucharisticum, in Christi corpus probamus: quomodo per figurā illum, & non propriè Christi dici corpus patiemur? Vana ergo nunc etiam quæris ad figuras perfugia Volane: petis principium, à proposito declinas. prius nullam ex consecratione & diuini verbi benedictione effici in pane substātiæ mutationem, probandum, vicq;

Veritas rei figuras excludit.

Perfugiū ad figuras substātiæ mutatio prohibet.

omni diuina verbum Christi spoliãdū est, quàm ad figuras aditus tibi pateat: prius Trãssubstantiatio, de qua nunc nobis res est euertẽda: demum de tropis in his verbis, Hoc est corpus meũ, cogitatio tibi suscipienda est. Sed non inconsultò hanc tibi ad tropicos tuos cuniculos aditum obstruximus, cùm ad mutationem quæ in panis substãtia ex Christi potentissimis verbis consequitur cum D. Augustino probãdam descenderemus: qua stante, ceu immobili & altè defixa veritatis ãchora, omnes tuæ figurarum nebulæ & venti dissipantur. Quàm verò egregiè tibiipsi illudis, ridendumq́ te magis alijs, q̃ mihi timendum ostendis: cùm hæc stupẽda mysteria, vna ex Grammaticorum scholis petita regula, expugnare niteris. magnas certè ostẽtas vires cũ dicis: Disparata de disparatis, nunq̃ prædicãtur, nisi figuratè vel significatiuè: ac propterea panis ipse nequit esse verũ & naturale Christi corpus, ita nec vinum sanguis: cũ vtraq; hæc diuersam & certis proprietatibus distinctam habeant naturam. Sed erras tu vehementer, Nec enim in hac propositione

Volano ad tropos obstructa via.

sitione

sitione: Hoc est corpus meum, dispara torũ est prædicatio: cùm non diuersa natura de diuersa dicitur (sicuti in illis accidit: Christus est petra, ostium, vitis lapis, leo, & si quid est in scriptura simile) sed vnius naturæ in alteram mutatio statuitur: cùm accepto pane Dominus Deus noster enunciat, & ipso verbo hoc ipsum quod enunciat efficit, dicens, Hoc est corpus meum. Non hic diuersum de diuerso prædicatur, sed diuina iussione potentissimiq; Dei verbi voluntate & operatione, res vna in alteram transmutatur, & de se ipsa dicitur: vt verè & propriè de illa iam mutata nec priorem retinente naturã, quòd corpus Christi sit pronũciet. Sed dicis: Panis esse nequit verum & naturale Christi corpus, nec vinũ sãguis: cũ vtraq; hæc diuersam & certis proprietatibus distinctam habeant naturam. Infidelẽ aliquem, & diuini verbi potentiam sui ingenij angustijs metientem, sermo iste demonstrat & quòd fidem in te tantæ tamq; admirabilis conuersionis, sola opinio de diuina imbecillitate concepta obruit,

Disparata prædicatio non est in illis verbis: Hoc ẽ corpus meũ

quòd Deũ existimes nõ posse, id quod tua perscrutari ratio non possit. ideoq; figuras in Christi apertissimis verbis quæris: quòd de potentia eius per quã verum sit quod dicitur, dubites. Sed humano mẽdacio Dei veritas ad excusationem non indiget. Verũ enim est quod dixit Deus: Hoc est corpus meũ quia dicens fecit. Non oportet eius verbum à facto, nec eius veritatem ab eius potẽtia separare. Idem est enim illi posse quod dicere & velle. Vel Christum Deum esse nescis: vel illum aliqd non posse, quod in se contradictionem nõ includat, arbitraris. Turcicum etiã & barbarorum ingenium, si Deũ esse verum Christum crederet, hoc non esse illi difficile confiteretur. Porro quod addis ex vsu (inquiẽs,) sermonis sacramentalis panem & vinum nomina rerũ ipsarũ percipere, vt panis dicatur corpus qa sit symbolũ corporis in Eucharistiæ sacramẽto

Deo idem est posse quod velle.

Si species panis quæ videntur in Eucharistia, Christi vocentur corpus, figuratè hoc dici cõcedi potest: ideò, quòd illud cõtineant & significent: sicut vsur-

Species panis per figurã corpus Christi dicuntur.

patur

patur continens pro contento: & scrinium, in quo est aurum, auri ipsius nomine vocatur: ita species panis q Christi carnẽ continẽt, per figurã caro Christi appellant. Inde est illud D. Augustini: Si sacramenta similitudinem quandã earũ rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta nõ essent. Ex hac autem similitudine plerunque etiam nomina ipsarum rerum percipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est: ita sacramentum fidei, fides est. In sacramenti nomine liber est D. Augustinus & eo plerunque, nõ autẽ semper, ad alia signa, quæ sacramenta non sunt (vt cùm panem benedictum q Catechumenis dabatur, sacramentum vocat) abutitur: & hoc loco speciebus solis visibilibus panis tribuit: de quibus quodammodo non propriè corpus Christi quandoque prædicatur. Nec enim quæ sub aspectum & sensus nostros externos veniunt panis illæ in Eucharistia species, corpus sunt Christi: sed quòd sub se occultent & contineant Christi ipsũ verum corpus, ideo rerum quas con-

Epist. 23. ad Bonif.

De pecca mer: & rem: lib: 2. cap: 26.

tinent & significant nomen illis tribuitur, improprio quodam modo. Vbi ergo talis est de signis prædicatio hūc figuratum dicendi modū agnoscimus. Cæterum cùm hoc singulare Eucharistia sacra habeat, vt in ea signorum substantia, accidentibus tantùm permanentibus, in res ipsas quas signant, pmutetur, vti nunc probamus: sine vllo prorsus tropo profertur: Hoc quod sub speciebus panis in Eucharistia latet est verū & re ipsa existens Christi corpus. Hic enim non de signis res prædicantur: sed substantia signorum in res ipsas conuerti demonstratur, cūà Domino dicitur: Hoc est corpus meum: Hic est sāguis meus. Ideo quæ ex scriptura congeris loca, quòd & agnus Paschalis transitus, & sacrificia peccata, & sanguis anima, & Baptismus fides, & Christus petra, Leo, ostium figuratè dicantur: cùm hac phrasi, Hoc est corpus meum, conferri non possunt. In illis enim quia nulla est subiecti in prædicatum commutatio (nec enim substātia petræ, & ostij, & vitis in Christum

Substātia signorum mutatur in Eucharistia.

quem

quem significat conuerti dicitur) prorsus impropriæ dictionis modus agnoscendus est: in hac verò, quòd substãtia panis in ipsum Christi corpus diuini verbi potentia & operatione transmutetur, simplex est omninò oratio: in qua id de substãtia panis dicit, quod re vera existit, & in quod re ipsa mutata est, quòd scilicet sit corpus Christi. Itaq; huic tuæ non tàm Lesbiæ quàm plumbeæ & iniquissimæ regulæ, quã nobis, nescius quæ vis eius sit & quantum se extendat, obtrudis: & per quã omnem eludere veritatẽ amicus figurarum cupis: longum vale dicito. Nõ enim hic cùm dicitur à Domino, Hoc est corpus meũ, nec cum sacri Doctores de pane Eucharistico quòd factus sit Christi corpus pronũciant, res signatæ de signis prædicãtur: sed signorum substantia in res ipsas re ipsa conuerti docetur. Tanti te tuaq; facis, vt nobis ad Catholicæ veritatis Doctores interpretandos regulas præscribas: nobis, inquam, Catholicis, qui sensũ scripturarum Doctorumq; sacrorum, non ab

Volani plũbea regula.

 vnius

vnius homuncionis somnijs, sed ab Ecclesia Dei, quæ est veritatis columna, accipimus: tui verò capitis errores nõ regulas, Caluinisticas phrases, non orthodoxas sententias, calumnias non interpretationes, dignoscere, & quam vim habeãt probè examinare Ecclesiæ sanctæ discipuli, didicimus. Has tu regulas tuis illis mulierculis oneratis peccatis, quibus sapiens videris, & quarũ à te Deus rationem requiret, propone. forsitan & ipsæ aliquãdo verborũ Christi plana sententia (cùm minus in grãmaticis exercitatæ tuorum troporum fastidium conceperint) permotæ: tuas adulterinas scripturæ nõ tàm interpretationes quàm deprauationes, deprehendent exhorrebuntq;. Nec illud te moretur quod D. Augustinus protulit

Con: Adam: cap: ca: 12.

Nõ dubitauit, (inquit,) Dominus dicere: Hoc est corpus meũ, cũ signũ daret corporis sui. Aliquid enim ad tuum confirmandum errorem occasionis & scandali tulisses, si vnicam vocem addidisset D. Augustinus, Tantùm scilicet quod tu addis sed non dixit signũ tantum

tum

tùm corporis Christum Discipulis dedisse, sed rem sub signo in quam panis substantiam remanentibus speciebus mutatam esse alio loco, vti audisti, docuit. Vtrunque enim Catholici cum D. Augustino in Eucharistia profitemur, & signum in speciebus quæ vidētur, & rem in substantiæ transmutatione, corpus scilicet Christi quod non videtur. sicut & alibi docuit, corpus Christi & figurā esse & veritatem, vti iam in altero eius pro Transsubstantiatione testimonio accipies. Grauissimè igitur peccas, mi Andrea, quòd non modo verbis apertissimis suadentem tibi hanc in pane Eucharistico p diuina verba mutationem Augustinum non audias: sed & turpem illi notam inurere, quasi Hæresis tuæ societate macularetur, contēdis. Quid enim dici ab eo pro ea quā defendimus mutatione potuit apertiùs quàm cùm species panis à substātia distinguens dixit: ante cōsecrationē panis est quod natura formauit: post cōsecrationē caro ē Christi, qđ benedictio cōsecrauit: spectauit vir ille sanctissimus, id quod

tu contemnis, quanta sit diuini verbi & benedictionis virtus: quæ ipsas creaturas immutat, earumque naturas in id quod vult conuertit: vt ex virga serpens, & ex serpente virga, & ex aqua sanguis, vti D. Ambrosium probantem audies efficiatur. Sed iam ad alterũ eius multo clariorem locum pro Transsubstantiatione veniamus. Corpus (inquit)

Secũdus locus D: Augusti: pro Trãs substant: De cons: dis: 2.

Christi & veritas est, & figura. veritas, dum corpus Christi & sanguis virtute spiritus S. in virtute ipsius ex panis & vini substãtia efficitur: figura ẽ quod exterius sentitur:

Hæc verba longè te acrius pungunt quàm declarare audes: licèt te in omnes partes verses, quo tamen impetũ hunc declinaturus confugias prorsus ignoras. Et certè nil potuit pro Transsubstantiatione manifestiùs a viro Sãcto dici. Tu quidem vnicum illum ad figuras euadendi tenere vis portum: sed præclusum tibi, tuipse agnoscis, cùm alto silẽtio verba illa contegis. Corpus Christi & sanguis ex panis & vini substantia efficitur: figura est quod exterius sentitur.

Nec ad hæc quicquam tentasti, quo inuictus iste D. Augustini sensus eluderetur

tur. Hæres tu quidem in illo primo verbo, corpus Christi & veritas est & figura: fingens panē figuratè hic dici Christi corpus, cū propriè & pro re signata acceptum corpus Christi, & veritas & figura esse nequeat. Sed ignoras etiam Christi verum & propriè acceptū corpus figuram esse posse. Nam & saluator ipse templum illud vocauit: soluite, inquiens, templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: & Apostolus illud esse figuram Ecclesiæ declarauit. Quod etiā locus ille D. Augustini, quē vel non intellectum affers, vel eum iniquè contorquere conaris, confirmat. Caro carnis & sanguinis sacramentum est sanguinis: carne & sanguine vtroq; inuisibili & spirituali, intelligibili signatur spirituale Domini nostri Iesu Christi corpus palpabile plenū gratia omnium virtutum & diuina maiestate. Ecce inquis, hoc loco per vocabula carnis & sanguinis, elementa & symbola externa significat Augustinus. ô inconsideratam vocem. Non animaduertisti, Volane, non dicere D. Augustinum per corpus Christi signari panem; sed per corpus Christi

Verum Chri. corpus pōt esse alterius rei figura.

Ioan. 2.

Col. 1.

Sēt: pro

intellige

intelligibile, inuisibile, spirituale, signari corpus palpabile. Panis certè & vini species in sacramento, cùm videantur & sensibus percipiantur inuisibiles & intelligibiles non sunt: quomodo ergo sententiæ D. Augustini contrarium assuris sensum? Ille per corpus inuisibile in sacramēto, signari palpabile Christi corpus docet: tu verò per corpus panem illum denotare affirmas: aut quomodo panis inuisibilis est in Eucharistia dicito: aut tuam inscitiam confitere quòd quomodo Christi corpus, signet ipsum Christi corpus non intelligas. Sed iam si doceri vis, accipies: beneficijs etiam tecum certabo. Corpus Christi in Eucharistia verum & reipsa existens, est intelligibile: sola enim fide quæ est intellectus diuinum donū, ibi esse creditur: est spirituale non natura, sed resurrectionis gloria: est inuisibile, nam nullis sensibus externis deprehenditur. Hoc ergo corpus cùm idem sit omnino & in sacramēto & in cœlo, modo tantùm existendi diuerso & ineffabili: fit vt modus iste in Eucharistia

inuiſibilis, ſignet illum viſibilem & palpabilem in cœlo, vt cùm inuiſibile quidem, ſed reale Chriſti corpus in ſacramento ſub ſpecierum velamine ſumimus, denotetur nobis illa viſibilis, reuelata & palpabilis cũ Chriſto conuerſatio in cœlo: cùm iam oculo ad oculum, eius lætisſimo & delicatisſimo conſpectu pfruemur. Sed ad priora eius verba redeamus. Corpus Chriſti, inqt, & figura eſt & veritas. Si corporis Chriſti nomẽ figuratè pro ſigno D. Auguſt. vſurpat: obſecro hunc figuratum ſermonem ad ſimplicem reducamus, & quis erit viri diuini ſẽſus perſcrutemur. Tale ergo pronunciatum formabitur. Panis ſeu ſignũ panis, & figura ẽ & veritas. Quaſi diceret: ſignum non eſt ſignum Quo quid ſtultius dici poteſt? talẽ ne tu tamẽ inſulſam vocem D. Auguſtino tribues? Agnoſce potius id quod res eſt, corpus Chriſti illum vſurpaſſe pro toto Euchariſtiæ ſacramento: acſi doceret: Euchariſtia & figura eſt, & veritas. In quo ſenſu ſeipſum explicantem audias. Quomodo eſt vir ſancte,

Euchariſtiæ ſacramẽtũ corpus Chriſti vocatur.

veritas ipsa sacra Eucharistia? respōdet Dum corpus Christi & sanguis virtute spiritus S. in virtute ipsius ex panis & vini substantia efficitur. Quomodo verò figura est? Id quod exterius sentitur. quasi diceret: veritas est in substantiæ mutatione: figura verò in specierum, quæ nō mutatur, aspectu. Sacramentum ergo Eucharistiæ q̄d à potiori parte corpus Christi vocauit: apud nosq; etiam vsitato dicendi modo, idem sacramentum corpus Christi vocatur: ex figura signisq; & ipsa veritate seu re quæ signatur, constituitur. figura est in externis speciebus: veritas & res ipsa in substātiæ panis in Christi corpus permutatione. Hic tu siles Volane: iam ōnis spes hisce verbis ad figuras & vmbras, quibus tantam authoritatem eludere voluisti, erepta tibi est. graue enim est et vrget nimis quod dicitur: ex panis substantia virtute, spiritus S: Christi corpus efficitur. figura autē est q̄d exterius sentitur. Quàm manifesta & hìc, vt hoc obiter dicā, specierum & accidentium à substantia in Eucharistia distinctio, quam tu nec somniasse D. Augustinum som

Figura in speciebus: Euchari. veritas in substātiæ mutatione.

Silet Volanus.

nias. Figura inqt, exterior manet: substantia verò panis in Christi corpus virtute spiritus S. cõuertitur. Quid igitur ad Transsubstãtiationẽ desideras? quo modo illam ex his verbis expunges? certè ita te ipsa per huius sententiæ claritatẽ pupugit, vt nil silentio melius habueris. Tenta etiã hîc figurarum dolos si forte audes, vt dicas, cûm audis: Corpus Christi ex panis substantia efficitur, figuratus est sermo. sed obsecro simplicem ex eo compone vt dicatur, panis ex panis substantia efficitur idq́ virtute spiritus S. Quàm stultè hoc aliq̃s effutiret, & cũ quanta cõtumelia D. Augustino talis propositio affingeret. Non oportet panẽ ex panis substantia effici cûm panis sit: nec adhoc quod ipsa natura produxit efficiendum, diuina spiritus S. virtute, quæ summa est impietas, abuti. Adeò troporum te iste ptinax amor excæcabit, vt quò magis veritatis lucem refugies, eò periculosiores errorum foueas inuenias.

Trãssub:

Nõ respõdet ad obiecta Volanus:

Stultam propositionem tribuit D: Augustino Volanus:

CAP: 6.

Tertia D: August: pro Trãs: sententia.

IAm & tertiã huius viri, de q̃ res est pro mutatione substantiæ in Euchari-

ſtia ſententiam afferamus. Sicut ipſe eſt (inquit,) qui baptizat: ita & ipſe eſt, qui per ſpiritum S. hanc ſubſtantiam efficit carnem, & tranſit vinum in ſanguinem. Hoc intolerabili ictu, & tanta claritate verborum victus ad rem tuo propoſito valde aduerſam quàm inuitus decideris, Volane, tua hactenus tergiuerſatio & tot quæſitæ ad elabendum figuræ, demonſtrant. Agnoſcis tandem, & vi veritatis adactus, confiteris: nõ D. Auguſtino tantùm, ſed alijs etiam orthodoxis eſſe commune, vt crebram elementorum in S. Euchariſtia mutationis faciant mentionem: ſed qualis nam ſit hæc in elementis mutatio, rurſus in controuerſiam adducis, & nouis tenebris lumen veritatis obſcurare fruſtrà conaris. magis enim clarior efficitur, & tua in ijs quæ rectè dicta ſunt prauè detorquendis, praua voluntas proditur. Audîſti igitur D. Auguſtinum ſecũdò iam proteſtantem: hanc mutationẽ elementorum Euchariſtiæ manẽtibus ſpeciebus eſſe in ſubſtantia panis & vini. Nam & antè docuit corpus Chriſti

&

& sanguinem ex panis & vini substantia effici, & nunc Christum substantiã panis efficere carnem, eâdem constantia docet. Tu verò qualẽ obsecro mutationem in his elementis agnoscis:
In fine, (inquis) ipsarum rerum & vsu nõ in substantia hãc mutationẽ fieri cõtendo.
contendis certè, et tàm manifeste D. Augustino contradicis. Quæ enim est magis aperta cõtradictio? ille asserit ex panis substantia corpus Christi effici, ideoq; ipsam substantiam mutari: tu verò eam porrsus mutari negas? Quomodo non mutatur, si ex ea Christi corpus efficitur? vbi verò dicat D. Augustinus, in fine & vsu elementorum esse hanc mutationem non ostendis: quia non eius sententiam, sed tui capitis phãtasmata sectaris imperitisq; obtrudis. Hócne est sacros sequi Doctores, illis apertè contradicere & diuersos imò cõtrarios confictosq; sensus, eorum Catholicæ doctrinæ opponere? Qui quãtis sint implicati nænijs puerilibusq; erroribus iam clarius agnoscere incipe.
In fine, (inquis) & vsu elementorum ẽ

Contradicit D: Augus. Volanus:

 in

in Eucharistia mutatio. Si tùm mutari panem dicis cùm manducatur & consumitur: non est mutatio ista, sed consumptio panis, huiusmodi enim res vtendo intereunt, nec quicquam habent praeter vsum. Si verò fine, hoc est, animo eius qui manducat, panem mutari affirmas: magis à ratione aliena & inconsona attulisti. Finis enim, est causa extrinseca: quae sicut est ipsa re prior, ita eam non afficit nec immutat, nisi aliquem finem manducationis furtum vel homicidium sibi constituentem, scelus suum pani quem mãducat impressisse, ideoque panem immutâsse dixeris. Ita quid fingas quid ue somnies nec te ipsum intellexisse puto. Cum verò paulò acutiùs videris loqui inquiens: Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum: mutationem Augustinus agnoscit sacramentalem vt nimirum quae fuerunt simplicia & profana elementa, accedente verbo Dei sint sacramenta, hoc est, sacrarum rerum signa: in easdem commentitias fabulas incidis. Nam nec sic mutationem vllam in elemẽtis inuenisti, Quae enim mutatio est in pane etiamsi corpus Christi significet

ficet, nullus cogitãdo assequitur. Quid re existens significatio pani imprimit? quid in eo etiam si signet aliquid, mutatur? Mutaturne hedera quæ vini significat venditionem? Eadem est ominò sine vlla accessione & sui detractione: cogitatio tantùm aspicientis, vt propter vinum adhibitam esse meminerit, in ea mutatur. Eodem modo si panis in Eucharistia Christi tãtùm corpus signat: nulla est in pane, sed in animo signum illud pani imponentis mutatio. Cum verò te adhuc explicas, & istas errorum sordes magis reuoluis, maiorẽ nauseam paris. Dicẽs enim: simplicia & profana elementa accedẽte Dei verbo fieri sacramenta, hoc est, sacrarum rerum signa, vt verbo Dei sanctificata fiant signa quod non fuerant antè: ad illud quod insulsè fuit dictum quiddã etiam in Dei verbum accessit cõtumeliosum. Sentis enim & tâm cõstanter affirmas, Dei verbum eiusq; sanctificationem non aliam rebus quæ per illud conseruantur, quâm significandi mutationem afferre. O nõ ferendã diui

Signa res ipsas nõ mutant.

ni verbi iniuriam. Putas Dei verbũ humano esse persimile, & nil præter inaniũm sonorum transeuntiumq; syllabarũ strepitum habere? Tuus sermo Volane significat: sed diuinus id quod vult operatur & efficit, resq; ipsas & creat & immutat. Quomodo potentissimũ Dei verbum cum humana imbecillitate comparas? imô minus etiam minus illi quàm hominibus solet tribuis. Regum enim & principum verba, quæ operandi vim ex ministrorum externarumq; rerum obsequio mutuantur, tanti fiũt, vt eis certa efficatia tribuatur: diuinum verô verbum quod ex se viuũ imô ipsa vita est, efficaxq; & omni gladio penetrabilius probatur, nec vlla operandi adhibet instrumenta, nil te authore amplius quàm vim significandi habebit? Video quàm longè distas ab illa Centurionis fide, qui ad efficiendã pueri sui salutem, non præsentiam saluatoris, nec vestem, nec sanctissimorum manuum impositionem desiderauit: sed in illam prorupit vocem: Dic tantùm verbo & sanabitur puer meus.

Zuinglia ni Dei verbo minus tribuunt q; humano.

Luc. 7.

Quasi

Quasi illum dicentem audires. Alij, q̃d infirmitatis est, ad operandum varia adhibent instrumẽtorum hominumq; ministeria: tu verò potentissime nullo indiges, sed quæcunq; vis ipso verbo & imperij tui potestate efficis. Dic Volane, cùm ad Baptismum Christi verbũ adhibetur, & ipse Christus per os ministri dicit: Ego te Baptizo, hoc est, à peccatis omnibus emundo, ablutionẽne animæ hoc verbo significat, an etiã confert & re ipsa efficit? Non ita te vecordem arbitror, vt cùm ipse sit qui baptizat, non hoc eum re ipsa & effectu per verbum in elemento aquæ efficere arbitreris. Nam & cùm paralitico dixit Surge tolle grabatum tuum: nõ significauit, sed verbo ipso vires illius restituit. Eadẽ ratione: cùm per os legitimi ministri pronunciat, Hoc est corpus meũ, nõ significat sed illo diuino et potẽtissimo verbo suũ ex substãtia panis efficit corpus. Audisses Chrysostomũ: Qui dixit, (inquit) Hoc est corpus meum & rem simul cum verbo confecit. (Et alibi) Non enim homo est qui proposita de consecratione mensæ domini, corpus Christi facit

Ioan. 1.
Matt. 9.
In Matt. Hom. 51.

cit

Christus rem simul cũ verbo in Eucha: cõfecit Hom. de prodit: Iudæ.

Sicut semel dictũ ẽ Crescite ita dictũ ẽ Hoc est corpus meũ.

cit & sanguinem: sed ille qui crucifixus est pro nobis Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratia. Hoc est, ait, corpus meũ: Hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox quæ dicit: Crescite & multiplicamini & replete terrã, semel quidẽ dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationẽ operante materia: ita & vox illa semel quidẽ dicta est, sed per õnes mensas Ecclesiæ vsq; ad hodiernam diem & vsq; ad eius aduentum præstat sacrificio firmitatem. Noli ergo tâm temerè dicere, Volane, Christi Domini verba ad significandum tãtũ adhiberi. opinione enim tâm absurda aut Christum Deum esse negabis, aut diuinũ verbum nil ab humano differre docebis. vtrunq; est in christi diuinitatem iniuriæ & contumeliæ plenum. Ego enim & quilibet mentis compos tales mutationes, quales tu Christi diuino verbo tribuis, non in pane tantùm & vino, sed & in carnibus, caseo & pomo omniq; cibo & potu, inducam, & significare mihi & Deum & Christum & corpus Christi & quæcunq; volo sacra & diuina imaginabor. quis enim hoc me vel te non posse negabit; atq;

ita hec oportebit vllam benedictionē & consecrationem elementis confer- re: (sicuti iam facitis Zuingliani) men- te enim & signorum à sola ratione pro fecta impositione, sicut & hedera ad vi ni emptionem exposita, sine Christi di uinis verbis immutabuntur & conse- crabūtur. Quod Christi exemplo, qui accipiens panem benedixit & cōsecra- uit, contrarium omninò probabitur. Cuius certè sicut verba falsa interpreta tione calumniari, & pro eius corpore, figuram corporis intelligere, ita & fa- cta omnia, ne nobis ad imitationem lu ceant, obscurare & exterminare Satha næ dolus per hæc vestra schismata & doctrinas proposuit. Audes in his signi ficationibus verbo Dei tribuendis illa D. Augustini sententia abuti: Illud, in- quit, quod ex fructibus terræ acceptum & prece mystica ritè cōsecratū sumimus ad sa- lutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicæ passionis. quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perdu citur, non sanctificatur vt sit tàm magnū sacramentum, nisi operante inuisibiliter spi ritus S. Ecce (inquis,) quod percipimus ex fructibus terræ acceptum, dicit Augusti

Cōsecra- tionē tol- lit Hære- sis Vola.

Matt. 26.

De Trin: li: 3. ca: 4.

 nus

nus idq; nō Transsubstantiari sed sola virtute spiritus S: sanctificari vt sit tām magnum sacramentum. Quam sincerè scripta et voces orthodoxorum depromatis, vel locus iste fraudes vestras denudabit. vt enim veram sententiam veterū apud imperitos ad vestros errores contorqueatis, sicut iuxta D. Cyprianū ipsi ab Ecclesia secti estis, ita & verba sanctorum sciditis. Ecce, inquis, quod percipimus ex fructibus terræ acceptū, dicit Augustinus, idq; non transsubstātiari: præterîsti superiora, & non rectē conscissam posuisti sententiam: quam multò iniquiùs ad tuos errores stabiliendos accommodas. Quæ integra posita, cùm tuas in S. Eucharistia nudas significationes expugnet, plenè est repetenda. Apostolus, (inquit,) potuit significando prædicare Dominū Iesum Christum, aliter per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per sacramētum corporis & sanguinis eius. Nec linguam quippe eius nec mēbranas, nec atramentum, nec significātes sonos lingua editos, nec signa litterarum conscripta pelliculis corpus Christi & sanguinem dicimus: sed id tantum, (hic Volanus incipit non periodo tantùm, sed & commate abrupto) quod

Hæretici trūcatas sanctorū sententias adducunt: De Sipl. præ. Tract. 5:

Cōscissā sentenciā D. Aug. Volanus posuit.

De Trin. lib. 3, cap. 4,

ex fructibus terræ acceptum est, & prece mystica ritè consecratum &c. Seuerum hic tuarum in Eucharistia significationum censorē D. Augustinū inuenisti: & tuis te armis oppressisti. Nam tātùm abest vt tuo proposito patrocinetur, vt illud etiam prorsus euertat, & Ecclesię doctrinā stabiliat. Docet enim vir sanctus varijs quidem signis Christum denotari: quædam tamen talia esse, vt nuda omninò sint signa: alia autem cum signis præsentē etiam habere Christū. Aliter, inquit, significatur Christus, prædicatione & scriptura: aliter sacramento corporis sui & sanguinis. Quare vero aliter? In causa inquirenda & differētia constituenda hæreamus. Tu dicis panis in Eucharistia, mystica prece consecratus signficat tantùm Christū: cōseqtur ergo, vt nil à scriptura & prædicatione differat. Quid enim afferre potes in quo ab illis distet, si nihil præter nuda signa in ea spectanda putas? Imò hoc significandi officium in prædicatione & scriptura erit luculentius & clarius, in pane vero longè obscurius.

Eucharistiā a scriptura nō discernūt Hæretici.

Nam

Nam panis natura sua nõ ad significã-dũ, sed ad comedendũ adhibetur: scriptura verò & voces ad significandum instituta sunt, ipsaq́ ex se nihil quam signa sunt: multo igitur certius Christũ significant. Quem ergo maiorem, diuersum sublimioremq́ significandi modum in pane Eucharistico agnoscemus? Hunc scilicet quem hîc agnouit & tradidit D. Augustinus: quòd scilicet illa signa litterarum & sonorũ nec dicuntur corpus Christi, nec prece mystica consecranrur, vt sit tâm magnum virtute spiritus S. sacramentum: panis verò Eucharisticus & virtute spiritus S. consecratur, & corpus Christi appellatur; non nomine solo & vocis figura (ita enim eodem modo, sicut scriptura & prædicatio, Christum significaret) ergo & reipsa in quam prece mystica virtuteq́ spiritus sancti trãsmutatur: vt & significatio sit in speciebus, & res ipsa corpusq́ Christi in substantiæ mutatione. Nam si ad illud cõmẽtum quod in libro secundo refutamus, confugias & dicas: ideò aliter panis Eucharisticus

Panis sua natura nõ est signum.

Panis nõ nomine tantum sed re ipsa corpus Christi dicitur.

cus quàm prædicatio Christum signifi cat, quòd cum prædicatione non exhibeatur corpus Christi, cum pane verò manducandum nobis præbeatur: tùm à te quæremus: Illud quod exhibetur cum pane est ne res existens, & re ipsa Christi corpus, an eius tantùm significatio? Si primum dicis, realem contrà te præsentiã corporis Christi in Eucharistia statues: sin alterum, ad easdem significationes relaberis, & panem Eucharisticum cum nudis signis confundis, differentiamq; per quã aliter quàm scriptura & prædicatio significet Christum non inuenis. Quomodo deniq; secundum D. Augustinum illud quod consecratur erit tàm magnũ sacramẽtum, si nudis tantùm significationibus cõmendetur? ô magnum sacramentũ quod à Mosaicis illis superatur: imò nec Mannæ illi in deserto vllo gradu dignitatis erit comparandum. Illud de cœlo supremaq; aeris regione prouenie bat: hoc ex terra & pistoris furno ꝓfertur. Illud omnis saporis dulcedine admirabili condiebatur: hoc nihil præter

Eucharistia propter nuda signa dici magnũ sacramẽtũ nequit.

Sap. 16.

Mãna Iudaicũ Eucharistiã iuxta Volanum superat.

ter naturalem panis vsitatumq; gustũ
habebit. Magnum ergo quomodo di
ces quod nil magnum continet: & in
quo nihil vires naturæ superans agno-
scis? Ita magnũ erit sacramentũ & A-
gnus Paschæ, & petra, & brutorũ san-
guis; illa enim omnia Christum multo
etiam clariore modo quàm Eucharisti
cus panis significabãt. Quid hoc est ali
ud quàm amplitudinem & maiestatẽ
nouæ legis sacramentorum, quæ non
significant tantùm sicuti ãtiqua, sed res
etiam continent & conferunt imminue
Psal: 110. re? & magna opera Domini exquisita
in omnes voluntates eius deprimere?
virtutiq; spiritus S. quæ panem conse-
crat & immutat detrahere? Cur enim
in his verbis D. Augustinus, nõ modò
sacramenti magnitudinem & maiesta-
tem, sed etiam Christi verborum om-
nipotentiam spiritusq; sancti virtutem
celebrauit & extulit, cùm inquit: Illud
quod ex fructibus terræ sumitur prece
mystica consecratur, operante inuisibi
liter spiritu sancto: si nõ sublime quid-
dam & omnibus humanis viribus alti-
us

ius in pane Eucharistico agnosceret? An nescis consecrationem verbis Christi efficacissimis & opus ipsum remq; conficientibus, vti iam diximus, fieri? operatio verò spiritus S, ad significandúm ne tantùm adhiberetur? Absit. Leue hoc est, & vsitatum etiam hominibus, rebus varias mēte sola conceptas significationes imponere. Pudeat te tā humiliter de diuinis operibus sentire & in Christi verba spiritusq; S. potentiam tam cōtumeliosa defendere. Adeò nihil perfectioni nouæ legis sacramentorum tribues? nihil in veritate Euangelica figuris Mosaicis excellentiùs agnosces? Nullas vires spiritui sancto ad operandum relinques? cum ipsisq; humanis confundes? At non ita S. & diuini illi viri: quorum apertissimas voces adulterinis sensibus aspergere contendis. sed non ferunt sanctorum hominum Catholicæ sententiæ hanc contorquendi vim, statim modo quis, nō nimis stupidus, animaduertat, ex vestris manibus elapsæ ad suam rectitudinem reuertuntur. Sicuti iam in his D.

Augustini sententijs probatum est. Cõperisti quã malè tibi cesserit ad eũ cõtra Transsubstantiationẽ ꝓuocatio. Cuius adhuc vnicũ testimoniũ ꝓ ea subijciã. Vtrum sub figura, (inquit) an sub veritate hoc mysticum calicis sacramentum fiat, veritas ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. alioquin quomodo magnum erit, panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, nisi vera sit caro? sed quia Christum fas vorari dentibus non est, (extra mysterium scilicet) voluit hunc panem & vinũ in mysterio verè carnem suam & sanguinem suum consecratione spiritus S. potentialiter creare, & quotidie pro mundi vita mysticè immolari: vt sicut de virgine per spiritum S. vera caro sine coitu generatur: ita per eundem, ex substantia panis & vini mysticè idem corpus Christi consecretur. En tibi adhuc perspicacissimam & de reali præsentia corporis Christi, & de Transsubstantiatione huius Sancti doctrinam: quæ nullã adulterinam interpretandi vim, sicut nec reliquæ illæ, pati poterit. Idem corpus quod ex virgine spiritus S. potentia generatum est, ex substantia panis in sacramento consecrari & effici affirmat. Quid ergo amplius ad sententiã Transsub-

Vltima D. Augu: pro Trãs: sententia.

De cons: di: 2,

Transſubſtantiationis aſſerendam deſideras? Etiamſi à te ipſo tuaq; mente exigas, & decretũ poſtules, ex his alijsq; illis D. Auguſtini verbis nil aliud quã quod tuemur, ſi pertinacia abeſſet, decerneres. Noli ergo aſſenſum piæ volũtatis ſubtrahere: ne & te ipſum perdas, & nomen viri Catholiciſſimi contagione Hæreſis Berengarianæ, polluas.

Aduocaſti in tuæ cauſæ patrociniũ Irenæum, dicentem: Quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia corporis & sãguinis Christi, ex quibus augetur & conſistit carnis noſtræ ſubstantia. Ex quibus verbis non mutari in Euchariſtia panem tu colligis: eò quòd conſueto more corpora noſtra confouet & augeat. Sed auget, Volane, conſueto more ante conſecrationẽ & perceptionem verbi Dei per quod vti probauimus immutatur: poſt conſecrationem verò longè alium modũ, naturam ipſam ſuperantem, ad animas & corpora noſtra confouenda acquirit. Nam in ipſum Saluatoris corpus immutatus, ſupraſubſtantialem illum

Irenæus vixit circa an. 184 Lib: 5.

H cibum

cibum nobis exhibet: quo non animæ tantùm, sed & corpora nostra pascuntur & immortalia incorruptaq; euadũt.
Lib. 4: cap: 34. Ita enim ipse Irenæus tradit: Quomodo (inquit) dicunt, carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitã, quæ à corpore Domini et sanguine alitur? (& infrà) Quemadmodum qui est è terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti: Sic & corpora nostra percipientia Eucharistiam, iã non sunt corruptibilia, sed spem resurrectionis habentia. Dic ergo Volane, quó nam modo ex nudis signis & ipso pane pistorio corpora nostra incorruptionem consequi possunt, vt nil ea in Eucharistia præter signa & figuras manducare probes? An non rationi consentaneũ magis feceris, si ab effectu, qui est corporum incorruptio, quæ omninò diuina est & Christi viuifico corpori ꝓpria, ad indicium causæ processeris? Si enim corpora nostra ex manducatione Eucharistiæ, incorruptionis spem habent hancq; vim ex ea cõsequuntur: id certè frustra signis, quæ tãti non sũt, sed æquissimè corpori Christi manducationi

Corpora nrã ex mãducatiõe Eucharistiæ ĩcorruptionẽ cõsequũtur.

cationi qua & ipsa corpora fruūtur tribuitur. Cùm verò aliter corpora nostra ali Christi corpore nō possunt, nisi re ipsa sit in Eucharistia ipseq́ panis in illud transmutetur: statuenda est trans substantiatio, ipseq́ Ireneus assertor eius esse comprobatur. quem tu non testem pro te, sed acrem tui erroris censorem contra te concitâsti.

Irenæus assertor Trāſſ.

CAP. 7.

IAm postq́ in D. Augustino tua spe decidisti, & tuo didicisti periculo quā te expugnet potiùs q́ iuuet: aduocabo reliquam contra te orthodoxorum turbam. quorum & ætas Concilium Lateranen: magnum longo interuallo antecessit, & authoritas tanta est, vt eius te pondus facilè opprimat, proq́ Transsubstantiatione concordibus suffragijs decernat. Prodeat inprimis ipsius D. Augustini pater in Domino & magister: & quam Catechumeno tradiderit doctrinam audiamus. Fortè dicis (inquit D. Ambr:) aliud video quàm tu mihi asseris quòd Christi corpus accipiā: & hoc nobis adhuc superest vt probemus. Quantis ergo vtimur exēplis. probemus nō hoc esse quod natura formauit, sed quod benedictio

Ambros. D. Aug. in Chrō pater vixit circa ā 370.

De ijs q misteр. in cap: 9.

 dictio

dictio consecrauit: maioremque vim esse benedictionis, quàm naturæ: quia benedictione etiam ipsa natura mutatur. Virgam tenebat Moises, proiecit eam, & facta est serpēs rursus apprehendit caudam serpentis, & in virgæ naturam reuertitur. Vides igitur prophetica gratia bis mutatã esse naturam & serpentis & virgæ. Currebant Aegipti flumina puro aquarũ meatu: subitò de fontium venis sanguis cæpit erumpere. non erat potus in fluuijs, rursus ad prophetæ preces cruor cessauit fluminum, aquarum natura remeauit. Circumclusus erat vndique populus Hæbreorum, hinc Aegiptijs vallatus, inde mari clausus: virgam leuauit Moises, separauit se aqua & in murorum speciem cõgelauit atque inter vndas via pedestris apparuit. Iordanis retrorsum conuersus contra naturam in sui fontis reuertitur exordium. Nonne claret naturam vel maritimorũ fluctuum vel fluuialis cursus esse mutatã? Sitiebat populus patrum: tetigit Moises petrã & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata est gratia, vt aquã vomeret petra quã nõ habebat natura? (Et paulò post) aduertimus igitur maioris esse virtutis gratiam, quàm naturam: & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiã? Quod si tantũ (audi si aures habes) valuit humana benedictio vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipsa consecratione diuina vbi verba ipsa Domini saluatoris operantur? Nam sacramentum istud quod

Benedictione natura mutatur.

In consecratione verba Domini operãtur, nõ significãt.

accipis

accipis Christi sermone cõficitur. Quod si tã tum valuit sermo Heliæ vt ignem de cœlo deponeret: nõ valebit Christi sermo vt species mutet elemẽtorũ? De totius mundi operibus legisti: qa ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Sermo ergo Christi qui potuit facere ex nihilo quod non erat non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant? Non enim minus est nouas res dare, quàm mutare naturas. Is est Ambrosius cuius D. Augustinus tanti fecit authoritatẽ, vt ea ad expugnãdos Hæreticos vteretur inquiens: Sed adhuc audi alium excellentem Dei dispensatorẽ, quẽ veneror vt patrem: In Christo enim Iesu per Euangelium ipse mè genuit, & eo Christi ministro lauacrum regenerationis accepi, Beatum loquor Ambrosium. cuius pro Catholica fide gratiam, constantiam, labores, pericula, siue operibus siue sermonibus, & ipse sum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus. & alio loco ad eundem: Illum aspice, aduersus illum aliquid aude: qui Hæresis vestræ venenis antequàm nascerentur occurrit, & vnde possint pelli hæc antidota præparauit. Hæc D. Augustinus De D. Ambrosio. Cuius mentem, si tibi adhuc obscura & ad significationes tuas oportuna videtur,

Sermo Christi potest mutare naturas.

Con. Iuli. Pelag. cap. 2. lib. 1.

D. Augustinus quanti fecit D. Ambrosium.

dispice obsecro: figuratam ne mutatio nem an veram, & in qua natura panis & vini in aliam transeat tot propositis diuinæ omnipotentiæ exemplis in Eucharistia agnoscat. Apparet ne in his eius verbis symbolicæ tuæ & figuratæ conuersionis vestigium? Sed quod tãdem veritatis lumen, non iam erroris sed temeritatis tuæ & obstinationis tenebras depellet? in tanta cæcutis luce, nec tuo iã parcens pudori, & õnes qui tua sunt lecturi stipites & caudices existimans, D. Ambrosium ænigmaticè & figuratè loqui confingis. Sed clariùs vir sanctus dixit quàm vt obscurari, copiosiùs quàm vt peregrino sensu verba illius infici, queant. Quæ tu quidem iam non esse spectanda censes, sed mẽtem illius consulendam. Quasi verò vestri sit similis: & aliud ore populũ Dei docuerit, aliud corde finxerit. Verba certè sapientum, vt inquit sapiens, sunt sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi: quæ & calumniatorem pungunt, & diuelli à sua sententia non possunt. Placet ex his verbis D. Ambrosij considerare

Ecle. 12. Verba sãctorum qualia:

derare, quid in his proponat, & quibus rem propositam exemplis confirmet. Mutari naturam panis in Eucharistia, per benedictionem & verba Christi, probaturũ se recepit cũm dixit: probemus non hoc esse (in pane scilicet & vino Eucharistico) quod natura formauit sed quod benedictio consecrauit: maioremq; vim benedictionis q̃ naturæ: quia benedictione etiam ipsa natura mutatur. Quibus igitur ad probandum vtitur argumentis? Omnipotentiæ scilicet Dei, quæ in alijs naturarũ mutationibus declarata est, copiosissimis & apertissimis exemplis. quæ cũm non figuratam sed realẽ non tropicam sed veram habeant naturarum mutationem, (nec enim significatione virga Moisis in serpentem, nec figuratè aqua in sanguinem sed verè & secundũm veritatem conuersa est. Sic enim falsa & præstigijs adumbrata signa fecisse Moises videretur) quis non idem de pane & vino in Eucharistia cõcludere Ambrosium agnoscat, nec tropicè sed per rei existentiam earum naturas in corpus & sanguinem Christi mu-

D. Ambrosius vsus est exemplis non figuratæ sed realis mutationis.

tari affirmare illũ animaduertat? Quomodo enim illa quæ ad probãdam naturarum conuersionem tâm numerosa attulit exempla, nõ deliri potius & sine cerebro hominis nec quicquam ad propositum spectantia censebuntur? An illi significatoriæ & figuratæ mutationes quas tu Volane ex scriptura colligis defuerũt? vel ignorare illas vir tantus potuit, vt non potiùs ab Agno Paschali à petra, à manna, in quibus tãtùm mutatio erat figurata, argumentaretur, & suum institutũ probaret? Denique cùm Christum cum Moise & Helisæo, benedictionem propheticam seruorum, cũ verbo eius qui Dominus est prophetarum, comparat, an non videtur tibi talem tamque sublimem in elementis Eucharistiæ mutationem statuere, quæ lõgè prophetarum êdita miracula superet? Quasi diceret: Potuit Moises ex virga serpentem, & ex serpẽte virgam, & ex aqua sanguinem facere: & non poterit Christus ipsius Moisi Dominus, ex substantia panis suum corpus efficere? Potuit Hæliseus naturam ferri mutare,

& non poterit Deus Helisei panis natu ram in id quod vult conuertere? Si deniq; Christi diuinum & efficax verbum q̃d ex se operatur, figuratam tantùm, qualem facere quilibet homo de media plebe poterit, mutationem in pane efficit: longè à Moise & alijs prophetis qui sua benedictione naturas immutârũt, superabitur, inqt Ambrosius, Christiq; maiestas & eius verbi potentia benedictioq; inferior iudicabitur. Ad extremum cum mutationem hãc Eucharisticam cum mundi ex nihilo creatione conferat, inquiens, sermo Christi q potuit facere ex nihilo quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare q̃d non erant? Non enim minus est nouas rebus dare quã mutare naturas: quid erit tãta comparatione dignum, si nulla realis sed tropica tantùm mutatio in Eucharistiæ elemẽtis agnoscetur? An Deus figuras rerum & non res, imagines & non naturas produxit? Quod si res sunt & naturæ, non vmbræ & figuræ ab omnium opifice creatæ: pari ratione & in pane ad quem mutandum ea-

Mutationem in Eucharistia cum creatione mũdi cõparat D. Ambro.

dem interuenit diuini verbi potestas, non vmbra & imago corporis, sed ipsum re existens corpus Christi efficitur. Aequalis esse omnipotentiæ diuinæ dicit & nouas creare & immutare naturas: vt æquale etiam & in creatione rerum & in transmutatione Eucharistica agnoscat miraculum. Illud verò inuictam & odiosam nimium demonstrat temeritatem, quòd ex eodem D. Ambrosio afferre niteris: vt scilicet ex aliquo, vel vnico saltem verbo, suspectã eius sententiam efficias, & ijs, quæ clarissimè dicta sũt, nubẽ quãdã inducas.

In creatione et Eucharistia æquale agnoscit miraculũ D. Ambr.

De Sacra: lib. 4. cap. 4.

Si tanta vis est (inquit Ambrosius) in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse, quæ non erant: quantò magis operatorius est vt sint quæ erant & in aliud commutentur.

Ita verò inquit Volanus, nõ desinere substantias elementorum Ambrosius asserit, cũ eadem manere quæ ante fuerant ostẽdit, sed mutari in vsu & dignitate tradit: vt nimirũ suo modo sint corpus Christi & sanguis, qa sunt tantarum rerum sacramenta. Hæc tu quidem dicis tuo more, sed hac oratione illustriorem quidẽ nobis veritatem efficis: tuam autẽ vanitatem magis o-

stẽtas

ſtētas. Quis enim pius Lector Ambroſij non ſpectet, quæ ante hæc verba quæ tu truncatim ex ipſo affers, docuerit, & non tuas inſidias deprehendat, & execretur? Ita enim paulò ſuperius dixerat: Panis eſt (inquit) ante verba ſacramentorum: vbi acceſſerit cõſecratio, de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur aſſeruamus Quomodo poteſt qui panis eſt corpus Chriſti eſſe? Quare nõ reſpondet, ſicut Volanus, ſignificatione & figura & quodã modo (hæc enim facilior fuiſſet ſolutio) ſed potiùs veritatis Doctor infert Conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis fit? & cuius ſermonibus? Domini Ieſu. Nam reliqua omnia (in diuino ſcilicet Miſſę ſacrificio) quæ dicuntur, laus Deo defertur: oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris. Vbi venitur vt conficiatur venerabile ſacramentum, iam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti. Ergo ſermo Chriſti hoc conficit ſacramentum. Quis ſermo Chriſti? Nẽpe is quo facta ſunt omnia. Iuſſit Dominus & facta ſunt maria: iuſſit Dominus omnis creatura generata eſt. Vides ergo quàm operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergo (Hinc incipit Volanus, ſuperiora negligens) tanta vis eſt in ſermone Ieſu, vt inciperēt eſſe quæ nõ erant: quãtò magis operatorius eſt.

Volanus verba D. Ambroſij nõ refert integrè.

est vt sint quæ erant, & in aliud cõmutẽtur.
Rimam se in vno D. Ambrosij verbo, tot clarissimis eius sententijs posthabitis, inuenisse arbitratur: eò quòd dicat de pane & vino Eucharistico, sũt quod erant. Sunt quod erãt, Volane, sed iuxtà species visibiles tantùm. Nam nõ reducuntur in nihilum, vt prorsus non extent: sed in aliud commutantur. Non spectasti, creationem nouarum naturarum, & conuersionem vnius in alterã, D Ambrosium inter se contulisse: & vtranq; quidem stuporis & miraculi plenam, soliq; diuino & operatorio Dei verbo propriam agnoscit: hoc autem inter se differre docet: quòd creatio sit prorsus ex nihilo, conuersio verò ex aliquo. In qua, nec prior natura in nihilũ euanescat' nec subseques ex nihilo creetur: sed vna in alteram transeat & cõmutetur, priore nihilominus accidentium proprietates retinente. Est ergo panis post consecrationem & conuersionem quod erat, secundùm externas species quas non amittit, sed in aliud commutatur. In quod aliud obsecro?

D. Ambr. creationẽ cũ mutatione naturarum contulit.

dicat

dicat S. Ambrosius. In corpus Christi inquit: quia ex pane fit corpus Christi. Dicat Volanus: in quod aliud commutatur consecratione panis? in symbolũ, inquit, corporis Christi & in significãdi dignitatem. Potuisti ne in animum inducere, & aliquem adeò stupidum lectorem inuenturum te sperare, cui fidũte esse D. Ambrosij interpretẽ persuaderes? Ille panem in Christi, corpus, tu in significandi dignitatem mutari affirmas. Nil tibi cum illius doctrina cõmune esse & apertè te D. Ambrosio cõtradicere quisque perspicit. Sensus enim quem ei affingis quantùm cœlum à terra, tantùm a mente verbisque viri sancti dissitus est. Non cõsiderasti, talem hîc D. Ambrosium mutationẽ vrgere, & confiteri, & probare, quæ cum potentia ipsius creationis conferri possit: & Christi Domini, non significatiuo sed operatorio, vt ille inquit, sermoni respondeat. vt scilicet de pane fiat, non in pane significetur corpus Christi. In aliud, dixit, cõmutatur: hoc est, in aliam naturam: sicuti ex propositis tot exem-

D. Ambr. contradicit Volanus.

Significãdi dignitas non recte operationi spiritus S. & Christi verbo à Zuinglianis tribuitur.

plis

plis probauit. Accidentium enim quã tu vrges, permutatio, nil insigne, nil diuini & admirandi operis, demonstrat. Non dixit in aliam dignitatem significandi, quod fingit Volanus. Si enim signa tantũ, quæ rem ipsam non immutant, in pane agnosceret D. Ambrosius, qua re verbi diuini operationẽ quam vrget & ab illa ad naturarum commutationẽ probandam, vim omnem demonstrandi desumit, adhiberet? Significatio enim operationi opponitur. Illa enim nil re ipsa existens rebus affert nec naturas illarum immutat: hæc verò res ipsas constituit, format & in alias conuertit. Vbi ergo diuina operatio agnoscitur, significatio tollitur. Si verbũ Christi in pane & vino operatur: iam non figuras & vmbras, sed rerum ipsam veritatem, infert, & in id quod vult potestate sua immensa cõuertit. Atq; ita in quo tu verbo rimam quæsisti, fit vt ex eo potissimùm Transsubstantiationẽ, D. Ambrosius concludat. Sunt quod erant, iuxta species quæ manent: & in aliud commutantur, iuxta substantiam scilicet &

Significatio operationi opponitur.

Trãssub:

cet & naturam. Relinquitur ergo Trãs substantiationem esse. Venio ad D. Cyprianum, qui & ipse huius diuinæ naturarum in Eucharistia mutationis locuples est testis, cùm inquit: Panis iste quẽ Dominus Apostolis porrigebat, non effigie sed natura mutatus omnipotentia verbi factus est caro: & sicut in persona Christi latebat diuinitas, ita in sacramento visibili ineffabiliter diuina se infundit essentia. Naturæ panis mutationem non modò apertis verbis affirmat: sed ad eam comprobandam omnipotẽtiam verbi, quæ ad tantum miraculum suam effectricem manum adhibet, interponit. vt quod non fert natura ab authore naturę fieri cui nihil est difficile credatur. Accidentia denique panis effigiem vocans, à substantia seu natura ita distinguit, vt illa manere nec mutari, hãc vero in corpus Christi conuerti agnoscat: pulchraque similitudine latitantis sub speciebus panis, Christi corporis ab humanitate Christi in qua latebat diuinitas, desumpta confirmat. In qua tu manifesta eius sententia relicta, cauillationes quærere tentas: & aperta quidem verba refugis

Cyprianus vixit an. 260:

De card. operi: ad cor. pa.

mecum

metum enim tibi incutiunt cùm dicunt panis naturam esse mutatam: ad simili- tudinem autem prauè contorquendã animum adijcis. Quæ cùm semper ha- beat aliquid rei cum qua confertur dis- simile: tu in ea id, quod ad comparatio nem non assumitur, obtortumq; & inæ quale est quæris: & id quod rectum est & proposito deseruit præteris. Hac e- nim similitudine qua res illustratur, cũ dicitur: Sicut in persona Christi latebat di uinitas, ita sacramento visibili diuina se in- fundit essentia: hoc vult S. Martyr: ita sub effigie & accidentibus panis Chri- sti latere corpus, sicuti in humana & vi- sibili Christi specie diuinitas inuisibilis delituit. Quòd verò tu contorques, & ita concludis: vt sicut in Christo duæ sunt integræ naturæ, nec altera in alterã trãsijt, ita in Eucharistia panis etiam na- tura immutata permaneat: hoc propo- situ D. Cypriani refugit, nec in eo eius allata similitudo cum re cum qua con- fertur conuenit. quæ si in omnibus conueniret iam similitudo non esset. Cùm enim disertis verbis naturam pa- nis

Prauè cõ torta simi litudo à Volano.

Similitu- do cũ re nõ potest in õnibus cõuenire.

nis omnipotentia verbi mutatam per manente effigie & accidentibus, doceat, iã illam ab Eucharistia exclusit: speciebus tamen contectam ex illa similitudine probauit, vt sicut in visibili humanitate Christi latuit diuinitas, ita in visibilibus & externis elementorum accidentibus, verum Christi corpus, ex panis substantia effectum, occultari & tegi demonstretur. Cæterum insigne est commentum quod ad cauillanda D. Cypriani verba adhibes, cùm eum naturam panis pro conditione panis accipere confingis. Quis hoc ferat? aut qs nesciat aliud esse naturam, aliud naturę ipsius conditionem? aut quis mutata conditione pauperis in Regiam, naturam illius commutatam, & illum leonẽ vel lupum effectum dixerit? At non frustra Cyprianus & naturæ nomine vsus est, & ad illam commutandam diuini verbi omnipotẽtiã adhiberi dixit: quæ certè non significando, sed operando vires suas demonstrat. Sed hæc deliria iam sunt iusta animaduersione profligata. Quod verò ideò dicis D. Cyprianũ

Natura panis pro conditione panis stultè accipitur.

 sentire

ſentire panis ſubſtãtiam in Euchcriſtia permanere, quòd alio loco dicat: Panis iſte communis in carnem & ſãguinẽ mutatus, procreat vitam & incrementum corporibus, ideò ex conſueto rerum effectu fidei noſtræ adiuta infirmitas ſenſibili argumento edocta eſt, viſibilibus ſacramẽtis ineſſe vitæ æternæ effectũ. Inde, inquis, cognoſce panis ſubſtantiam minimè deperire: quando id quod dat nutrimẽtũ corporibus, ſubſtantiæ non accidentibus competat. Sed nõ perſpicis dixiſſe D. Cyprianum de cõmuni pane quod corporibus noſtris vitam & incrementum procreet: non de pane Euchariſtico, quem iam communem panem nõ eſſe, ſed in Chriſti corpus commutari dixit: nuncq́ etiam confirmat illis verbis: Viſibilibus, inqt, ineſt vitæ æternæ effectus. Vnde enim viſibilia elementa ex ſe mortua hunc diuinũ ad producendã vitam æternam effectum conſequerentur, niſi eorum natura in illud viuificum Chriſti corpus cõmutaretur? panem enim terrenum & communẽ ſtultè nimium aliquis vitam æternam efficere aſſereret. Materiam ergo tantùm

ex communi pane, qui vitam procreat corporibus, ad hoc sacramentum ideò desumi docuit, vt fidei nostræ imbecillitas, per hæc visibilia erigeretur edoceretur, ita diuinum Christi corpus, quod in Eucharistia vescimur, vitam nobis æternam producere, sicut communis panis corporibus procreat fragilem hanc vitam. Post consecrationem verò, vbi per Christi verbũ ille qui fuit communis panis in corpus Dominicum transmutatur: iam non caducam hanc corporibus vitam, sed æternã illam & immortalem animabus corporibusque etiã nostris operatur. Nam corpus Domini in sacra Eucharistia vtrisque salutis & incorruptionis esse causam & ante audisti, & postea plura es auditurus. An porrò accidentia, quæ per se sine subiecto, in Eucharistia subsistũt, habeãt vim corpora nutriendi, licèt hoc nec quicquam momenti ad probãdam vel improbãdam Trãssubstantiationem habeat: fateri tamen possumus hoc in eis diuino prodigio, quòd per se subsistant, concesso, cætera omnia quæ panis propria
 sunt

sunt consequi & eis rectè tribui posse: vt nec hac ratione analogia, quæ ad rē significatam desideratur, illis desit. De qua in tuis ratiunculis copiosior institu etur oratio.

CAP: 8. Ex D. Chrisost. vixit circa an: 420.

IAm ad D. Chrysostomum transeamus: Quem multa magnificè & præclarè de hoc diuinissimo sacramēto sētientem, & pro maiestate eius depugnantem, populumq; ad illam adorandam illo ore aureo exhortantem audiamus. Et in primis quid de mutatione elementorum dicat spectemus:

In Matt: Hom: 83. Lyturg: In Matt: Hom: 51. Ad cor: 1, Hom: 21.

Non sunt humanæ (inquit) virtutis hæc opera, quæ tunc in illa cœna confecit, ipse nunc quoq; operatur, ipse perficit, ministrorum nos ordinem tenemus: qui verò hoc sāctificat & transmutat ipse est. (Et alibi) visibilia Deus in corpus suum trāsmutat (Et alibi) Qui dixit, Hoc est corpus meum & rem simul cum verbo cōfecit. (Et iterū) Hoc corpus in præsepi reueriti sūt Magi, & viri impij, & barbari: tu non in præsepi, sed in altari, non mulierem quæ in fascijs teneat, sed Sacerdotem præsentem & spiritū super proposito sacrificio abūdè diffusum vides. (Et iterū) Dum in hac vita sumus facit, vt terra nobis cœlum sit hoc mysteriū: In cœlis Regium corpus quod nunc tibi in terra videndum proponitur. (Et alibi) O miraculū

miraculum, ô Dei benignitatem, qui cũ patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo, omnium manibus pertractatur ac se tradit volẽtibus ipsum accipere & complecti. (Et alibi) Helias melotem discipulo, filius autem Dei ascendens suam nobis carnem reliq̃t: sed Helias quidẽ exutus, Christus autem ascendens & eam nobis reliquit & ipsam habens ascendit. Præclaram & admirabilem sanctorum fidem, quam illæsam ab eis Ecclesia magistrâ, recepimus. Non se panem in altari (quod sibi inuisum & odiosum, totius antiquitatis contemptu, demoliti sunt Zuingliani) sed ipsum Christi Domini corpus, tãta certitudine fides illa veterum credebat, vt se etiam videre illud, palpare & ore cõtingere, dum scilicet species panis & vini tractarẽt, sub quibus latere illud certissimò sibi persuadebãt, gloriarentur: summaq; animorum consolatione prosequerentur. Terram cœlum sibi effectam quãto triumpho propter hoc Mysterium celebrabãt? quôd regium illud corpus quod adoratur in cœlis, omniumq; spirituũ vnica est voluptas, præsens se in altari habere præ-

1. De sac: Ad popu Hom: 2.

Terra propter præsens Christi in ea corpus cœlum nobis efficitur.

clara ergà tantum beneficium gratitudine, cognoscerent. Quod quá nam ratione & in cœlo verum & simul in altari re ipsa existeret, non quærebant. Satisfaciebat illis omnipotentiæ fides, & sermo ille fallere nescius: Hoc est corpus meum. Non sacerdotem hominẽ, sed ipsum Christũ totius sacerdotij caput mysteria illa conficere, & visibilia elementa in suum corpus & sanguinẽ commutare prædicabant: & summo horrore populum ex rerum tantarum miraculis repleri volebant. Et licèt sacerdotis ore verba proferẽtur, Christum tamen abdito modo per os eius illa pronũciare, & in eis suæ diuinæ potentiæ vires in natura panis trãsmutãda, exercere docuerunt. Si ergo iuxta D. Chrysostomum eodem spiritu cũ illis quos recensuimus loquentem, proposita in altari ipse Christus immutat: non in signa & significandi dignitatem, tale enim commentum per Heliæ comparationem exclusit. Non enim Christus in cœlum ascendens suum nobis melotem & vestẽ, nõ signa & figuras quas

Corpus Christi verum & in cœlo & in altari.

Per sacerdotem Christus cõsecrat.

Helias pallium Christus suum corpus nobis idẽ in quo ascẽdit reliqt nõ signa nec vestẽ sicut Helias.

vestis habet, sed ipsum suum corpus reliquit: vt in hoc ipso potentior Helia, agnosceretur, quòd & in corpore ascēdere, & illud ipsum nobis in altari relinquere potuerit: consequitur realem esse panis in ipsum re existens Christi corpus commutationem. Quæ cum non secundum visibiles species panis & vini fiat, secundum substātiam illam esse decernetur. Quid ad hæc Volanus? quo se vertat? quas latebras quærat? iam tot tropis significationū quibus veritatem à sanctis prædicatam eludat destitutus: ad Hyperbole tandem confugit. Videturne odorem etiam exiguū huius à Chrysostomo celebratæ fidei eructare? Minimè verò. Alibi enim pastus est: nil ex hac veterū patrū doctrinæ mensa contraxit: Zuinglianum conuiuiū tales cibos nō habet. apud quos periJt fides, regnat sensus & ratio humana. Verba hæc quibus se videre in altari velatum panis speciebus Christū sacrosancta piorum confessio prædicat: nō modò infidelibus hyperbolica, sed & falsa omninò plenaq; mendacij

Zuinglianū cōuiuium fidem S.S. patrum non eructat.

videntur. Sed quali ex causa obsecro? Ideò, vti & Volanus dicit, quòd sensus hi, oculi, manus & gustatus odoratusq; aliter iudicent, & nil præter panē deprehendant. Nil enim infideli verū est, quod ipse non tangat, vel ratione sua cōprehendat. Sed mens illustrata fide, alium lynceum, nempe illum diuinorum patrum oculum, assequitur: & audiens Christum dicentem, Hoc est corpus meum, satisfieri sibi arbitratur: sensus non consulit vllos, sed se supra sensus ōnes erigens, lōgè certiùs quòd Deum dicentem audit, credit, quàm si ipsa carnis oculis reuelataq; facie cerneret, infātemq; illum, sicut virgo & Simeon suis manibus cōtrectaret. Ideò idē vir sanctus admonet: Credamus vbiq; Deo, nec repugnemus ei: etiamsi sensui nostro & cogitationi absurdum esse videatur: quod dicit, in omnibus, & præcipuè in mysterijs, ita faciamus: non illa quæ ante nos iacent solummodo aspiciamus: sed verba quoq; eius teneamus. Nam verbis eius defraudari non possumus: sensus verò noster deceptu facilis est: illa falsa esse non possūt, hic sæpius ac sæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc est corpus meum, nulla te-

Infidelibus nil ē verū q̄d nō ratione cōprehendant.

Dei veritas nostris est sensibus certior.

In Matt. Hom: 83.

Contra sensus Deo credendum.

neamur ambiguitate & oculis intellectus id perſpiciamus. Nulla eſt Hyperbole, dicere,in altari me videre corpus Chriſti, cũ ſpecies, ſub quibus illud verè & re ipſa eſt, videam. Nam ſi quis regem facie velatũ videat, licèt apertum eius vultum non intueatur, verè ſe tamẽ regem ipſum vidiſſe dicet. Nam & hoc modo verè dicere poterant Apoſtoli Deum ſe videre, cum Chriſti humanitatem videbant: & D. Thomas, licèt oculis carneis Deum non eſſet intuitus, vulnera tamen Chriſti tangens & manus attrectans, Deum ſe & Dominum ſuum verè vidiſſe & cognouiſſe confitetur: eò quòd illud attrectârit, quod diuinitati coniunctum eſſe nec ab illa ſeiungi credebat. Pari modo cùm nos credamus tantam eſſe ſpecierum panis cum ipſo Chriſti corpore in ſacramento coniunctionem, vt nunq̃ ipſæ ſpecies ſua deſtitutæ ſubſtantia, conſiſterent, niſi a diuina virtute ſuſtentatæ, corpus ſub ſe Chriſti haberẽt: vbi illas videmus & tangimus verè nos videre & tangere Chriſti corpus ratione ſpe-

S. Thomas Deũ ſe verè vidiſſe dixit licèt humanitatẽ tantum Christi viderit.

cierum confiteamur. Nulla ergo est in verbis D: Chrysostomi Hyperbole, nulla aliena ab ipsa re superlatio, nullus veritatis excessus. Nec cùm docet sanguinem nos Christi tanquam de latere Domini profluentem bibere, istis figmentis figurarum locum relinquit. Non enim dicit nunc sanguinem ex ipso Christi latere ad nostram refectionem defluere: sed illum, qui est in altari, ita verum, ita realem esse, ac si nunc defluxisse videretur. Quæ te illius verba vehementer cōpungūt, & tuorum signorum vmbras exterminant. Quis satis sancti huius ardentissimam & sublimem fidem, qua incredibili deuotione & sui spiritus solatio, maiestatem huius sacramēti quā tu proteris & ipsis pedibus conculcas, tuetur, adorat, & ad adorandum excitat, edisserat? O si legisses quàm luctuosam de effuso à militibus Christi sanguine ad Innocentium Papam epistolam scribat. Lauacra (inquit) ipsa (occisorum scilicet in templo) sāguine repleta, & sacri latices purpureo sāguinis colore infecti. Verum ne in hoc quidē ærumna hæc

Sanguinē Christi perfusum a militibus luget Chrysost

constitit

constitit: sed vbi sanctum repositum est, eo milites ingressi quorum nonnulli, sicut accepimus, Christianis sacris iniciati nõ erãt, penitus omnia perlustrarunt: & sanctissimus Christi sanguis, in tanto scilicet tumultu, in eorum, qui dicti sunt, militum vestimenta effusus: omnia denique perinde atque in barbara captiuitate per audaciã acta sunt. Nicep. lib: 13. ca: 19.

Videtur ne tibi nihil de Transsubstantiatione sensisse, qui sanctissimum Christi sanguinẽ, non vinum nec elementũ tuum nudum effusum fuisse, tantis lacrymis, tantã impietatem accusans, queritur. Quæ verò ex eodẽ D. Chrysostomo affers, non possũt tam claram illius sentẽtiam obscurare. Quod enim dicit. vt quotidie in similitudinẽ corporis & sanguinis Christi, panẽ & vinũ, secũdũ ordinẽ Melchisedech nobis ostẽderet in sacramẽto, In psal: 22. nil ab his, quæ dixit & tam diffuse docuit, alienum affert. Nam similitudinẽ & antitypon antiqui etiam in pane & vino Eucharistico agnouerunt: sed ante ipsam consecrationem. In sacrificio enim Melchisedechico noui Testamenti, quod hodie per vniuersum orbẽ Ecclesia celebrat, prius panis & vinũ q̃d offerebat Melchisedech ꝓponitur: sed perfecta

Christi sacrificiũ Melchisedechico perfectius.

perfecta consecratione, vt figura verita te ipsa perficeretur & impleretur, non iam panis & vinum, sed nobilius & pfectissimum illud sacrificium, ex Christi vero & reali corpore & sanguine constans, offertur. Illam verò Epistolã D. Chrysostomi ad Cæsariũ Monachum ex qua verba quædam pro tua Hæresi sinistrê vsurpas, vnde habeas, penes te sit fides. In tomis D. Chrysostomi nõ legitur nec reperitur: nec eam vestri etiam Tigurini apud Gesnerum recẽsent. Noli tantùm tuis magistris fidere: vix enim aliquid bona fide ex S. Doctoribus quorũ calculis suas opiniones dãnari sciunt, mutuantur. Ad illud itaq; respondere nolo quod ita suspectum est vt nulla ætas à D. Chrysostomo scriptũ esse probauerit.

CAP: 9. Emisenꝰ vixit circa an: 360

TRanseamus iam ad Eusebiũ Emisenum: cuius sub Constantino floruit insignis in sacris literis eruditio. quem pro Trãssubstantiatione asserenda hæc docentẽ audiamus. Quia corpus (inqt) assumptũ ablaturus erat ab oculis, & illaturus sideribus; necessariũ erat, vt die cœ-

Hom: 5.

næ

quæ Sacramentum nobis corporis & sanguinis consecraret. Vt coleretur igitur per mysterium quod semel offerebatur in pretium, & q̄a quotidiana & indefessa currebat pro omnium salute redemptio, perpetua esset redemptoris oblatio: & perennis victima illa viueret in memoria, & semper præsēs esset in gratia vera, vnica, & perfecta hostia, fide æstimanda non specie: neq; exteriori cēsenda visu, sed interiori affectu. vnde cœlestis confirmat authoritas quia caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus. Recedat ergo (considera Volane) omne infidelitatis ābiguum: quoniam quidem qui author est muneris, ipse est etiam testis veritatis. Nam inuisibilis sacerdos: visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbi secreta potestate conuertit, ita dicēs: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum: & sanctificatione repetita: Accipite & bibite ait: Hic est sanguis meus. Ergo sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substiterunt, excelsa cœlorum, profunda fluctuum, vasta terrarum ita pari potestate, in spiritualibus sacramētis, vbi præcipit virtus, seruit effectus. Quāta igitur & quàm celebrāda beneficia vis diuinæ benedictionis operetur, quomodo tibi nouū & impossibile esse nō debeat q̄d in Christi substātiā terrena & mortalia cōuertuntur te ipsum q in Christo es regeneratus interroga. Tàm clara & ab ōni iniuria calumniosæ interpretationis libera est

Visibiles creaturas in substātiam corporis sui Christus mutat.

huius

huius viri pro Catholica in hac de qua res est conuersione doctrina, vt contorquere se illã Volanus posse desperârit. Quæ enim calliditas posset in tam euidẽti sensu obscurãdo proficere? Agnoscit rursus & concedit, id quod ãtea sũma contentione negauit, antiquos orthodoxos mutationẽ signorum in res ipsas, quas signant in Eucharistia agnouisse. Fateor inquit, verba Emiseni ita sonare, vt mutationem signorum, in res ipsas fieri contendat. Fateri hoc & in illis, quorum percensuimus sententias debebas, si pudor tuus illorum sanctæ authoritati pepercisset: sed aliorũ quidem rectissimos sensus inuertere audebas, hîc vero & animo iam decidisti, & ad contemnendum Emisenum abiiciendumq; te comparas. Fateor, inquis, Emisenum pro Transsubstãtiatione facere. Et meritò fateris: nulla enim tam acuta ad deprauandam illius doctrinã, sicuti & aliorum patrum, fraus inuenitur. Quare ergo in Catholicam sententiam non concedis? quare fidem subtrahis? Non est, respondes, iste scri-

Emisenũ Volanus pro Trãsub: facere agnoscit.

ptor tàm celebris & laudatus. At tantæ laudis fuit vt D. Chrysostomus ab eo di dicerit: quem sectatorẽ fuisse Emiseni D. Hieronymus grauissimus testis tradidit. Sed tu non es patrum illorum lau datissimorũ & sãctissimorũ, sed Caluini potiùs discipulus. Nil certè diuersũ nec ab aliĳs, nec à D. Augustino docẽte, Sicut ipse est qui baptizat: ita ipse est q hãc substantiam efficit carnem, & transit vinum in sanguinẽ, attulit, Emisenus cũm inqt: Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbi secreta potestate cõuertit. Eodem sensu mutato numero, eandem profitetur Catholicam fidem. Adeò nullæ tibi hîc figuræ præsidium afferre potuerunt: vt contemptu tanti viri, lucem eius doctrinæ effugere velles. In illo autem Dei õnipotentiæ exemplo quo Emisenus cõuersionem substantiæ panis in corporis Christi substantiam illustrat, cũm tu cuniculos quæris, teipsum magis condemnas. Et in corrumpendo sensu D. Cypriani ab ĳsdem similium comparationibus, meritò repulsam es passus. Non enim cõsideras, quòd nõ vt æqua

le & omni ex parte ſimile illud Bapti-ſmi exemplum, ſed vti æquè difficile, & æquè à noſtris ſenſibus remotum, Deo tamẽ facile proponat. Dicit enim: Quomodo tibi nouũ & impoſſibile eſſe nõ debeat, q̃d in Chriſti ſubſtãtiam terrena & mortalia conuertũtur te ipſum qui in Chriſto es regeneratus interroga. Difficile creditur corpus ibi eſſe Chriſti, vbi ſenſibus noſtris exterioribus panis eſſe videtur. At noli mirari, inquit, nec Deo difficile iudicare: ita enim & in hominis mutatione cùm ex filio Adæ, Dei filius in Baptiſmo generatur, accidit. In exteriori nihil additum est (inquit) & totum in interiore mutatum est, & ſic homo Dei filius effectus, & Christus in hominis mente formatus est. Eodem modo in pane nil mutatum eſt in exteriori forma: interior autem ſubſtantia panis, mortalis & terrena, in Chriſti conuertitur ſubſtantiam. Quæ conuerſio licèt abſtruſa ſit, & ſenſibus occulta vera tamen & re ipſa exiſtens, & Deo non difficilis. Itaq; ſicut ſtultum eſt & impium aſſerere ſignificatione tantum per Baptiſmum, & non re ipſa, Dei nos effici filios: ſic

Sicut in Baptiſmo re ipſa filij Dei efficimur ſic in Eucharis: re ipſa Chriſti corpus efficitur.

eiuſdem

eiusdem est demẽtiæ, figuratè & signo tenus tantùm ex pane corpus Christi fieri docere. Ita qdquid cõtra veritatis impetũ ceu rapidũ quoddam flumẽ conaris, ad te magis submergendum obruendumq́ reuoluitur. D. etiam Hieronymus huius cõuersionis locuples est testis, cùm docet, Dominum nostrum in illa sacra cæna corpus suum in panẽ transfigurâsse. Quæ apertissima verba cùm inuertere non auderes, ad alia quæ faciliùs in prauam suspicionẽ trahi posse putabas cõfugisti. Sed nihil proficis: magis enim noua nobis contra teipsũ arma suppeditas, quàm vt Hæresis tuæ a D. Hieronymo defensionem consequaris. Nam quod inquit: Postq̃ mysticum Pascha fuerat impletum, & Agni carnes cum Apostolis ederat: assumit panẽ qui confortat cor hominis, & ad veri Paschæ transgreditur sacramentum, vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech summi Dei sacerdos, vinum & panes proferens fecerat: ipse quoq́ veritatem corporis & sanguinis sui repræsẽtaret. Figuras cũ rebus ipsis earumq́ veritate comparauit hoc loco D. Hieronymus Melchise-

D. Hieronymus vixit circa an. 410: In Marc. 14.

In Matt.

dechum quidem panem & vinum futurarum rerum in Christo vmbras: Christum verò ipsum sacerdotium Melchisedechi perficientem, pane & vino in suum corpus, vti alibi docuit, transfigurato, non iam signa, sed res ipsas, non panem & vinum, sed corpus & sanguinem suum obtulisse, in illa Cœna affirmat. Iam verò si in pane Eucharistico nil amplius, quàm quod Christi corpus significat, spectandum sit: nullum erit ab illo pane, quem in figura obtulit Melchisedech, mysteriorum noui Testamenti discrimen. æquè enim ille panis & vinum Christi corpus & sanguinem abumbrauit: atq; ita perfectio sacerdotij in Christo, veritasq; ipsa rerũ, quod & veritati, & menti D. Hieronymi repugnat, desiderabitur. Tuarũ ergo significationum hîc etiã vir sanctus præbet se inimicum. Quòd si quis in illo verbo, Repræsẽtauit, hæreat, illudq; ad figurarum figmenta trahere nitatur: scire sectator verborum debet, vel saltem non dissimulare, à bonis authoribus vocem hanc pro eo, quod est rem

Christus sacerdotium Melchisedechicũ in cæna obiuit.

Repræsẽtare pro eo quod est rẽ præsentẽ exhibere.

præsentẽ

præsentem exhibere, & ostẽdere, vsurpari. Ita enim ea non prophani solùm illi Latinæ linguæ parentes, sed sacri etiã Theologi vsi sũt. Nam Tertullianus in Transfiguratione Deum Patrẽ illis verbis, Hic est filius meus dilectus, filium repræsentasse, hoc est, præsentem ostẽdisse, asseruit. Huc certè deuenit istorũ troporum libertas: vt sicuti in his verbis, Hoc est corpus meum, figuras cõquiritis, ita in illis etiam, Hic est filius meus dilectus, idem vobis sit faciendũ. Et sicut in illis à D. Hieronymo, ita in his à Tertulliano, verbum Repræsentare, ad significationum vestrarum commẽta contorquentes, petere suffragia poteritis. Con: Martio. lib. 4.

Audiatur & grauissimi illius Hæreticorum expugnatoris, & in Concilio Ephesino Leonis Papæ Vicarij, Cyrilli Alexãdrini, digna tãto viro de mutatione elementorũ in Eucharistia, sententia. Cyrillus Alexãdrinus vixit circa an. 440.

Ne dubites (inquit) an hoc verũ sit, co manifestè dicẽte, Hoc est corpus meum: sed potius suscipe verba saluatoris in fide: cũ enim veritas sit, non mentitur. insaniunt igitur dicentes, mysticam benedictionem à sanctifi- Epistola ad Calosirium.

 cation

Conseruatio Sāctissimi Sacramēti.

catione cessare, si quæ reliquiæ remanserint eius in diem sequentem. Non enim mutabitur sacrosanctum Christi corpus: sed virtus benedictionis, & viuificatiua gratia iugis in eo est. (Et infrà) Decebat ergo eum nostris quodammodo vniri corporibus, per sacram eius carnem & pretiosum sanguinē: quæ accipimus in benedictione viuificatiua in pane & vino. Ne enim horreremus carnem & sanguinem, apposita sacris altaribus: cōdescendens Deus nostris fragilitatibus, influit oblatis vim vitæ, cōuertens ea in veritatem propriæ carnis: vt corpus vitæ, quasi qddā semē viuificatiuū, inueniatur in nobis. Non figuras iste celeberrimus veritatis Catholicæ præco: sed magnam fidē in his verbis, Hoc est corpus meū, exigit: figurasq́ tuas, Volane, mendacia vocat: quæ certè ille Deo impingit, qui per eas veritatem eius eludit: quasi tam difficilia cùm velit non possit efficere Deus, vt tropis sit eius diuinus sermo potētissimumq́ imperium excusandū. Illo spiritu D. Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, Emiseni, Cypriani, Irenæi ex pane Christi carnem benedictione seu consecratione effici tradit: non vsu tuo, nec fine. Nam etiamsi mysterio illo post perfectam consecrationem nō

vtamur, & in alteram seruetur diē: corpus nihilominùs Christi esse, & aliter sentientes insanire, docet. Corpora etiam nostra Christi corpore pasci, & hoc loco, & in aliis multò clariùs, vti secundo libro audies, profitetur: vt inde ad mutationem, de qua agimus, Transsubstantiationemq; cōcludendā, nihil prorsus supersit. Pasci quidem nos, iuxta viri huius sententiam, Christi viuificante carne, vt vitæ in nobis corpus illud quasi semen viuificatiuum haberemus, oportebat omninò, si salui esse vellemus: sed quia sensus nostri, humanas & crudas carnes refugiunt, diuino consilio factum est, vt & panis in illam carnē cōmutarēt, propter viuendi necessitatem & horror in manducādo auferretur, propter nostram fragilitatem. Quomodo ergo panis immutatur? Oblatum, inqt, in altari Deus conuertit in veritatē (nō in figuram, in qua nullus est sensuum horror) propriæ (non signatæ) carnis. Est igitur conuersio panis. Sed vt horror fugiatur, retinentur proprietates & accidentia panis. consequitur itaq;

Corpora nostra Christi vescūtur corpore.

Conseruātur species panis propter horrorem in carne humana manducāda.

substantiam immutari & species remanere. Ideoq; cùm carnem Christi manducare nos in pane dicit, ad species panis retulit. subiecit enim: Ne horreremus carnem & sanguinē, seruari quasi quædam velamina proprietates panis: ipsum verò panem in Christi propriū corpus conuerti, secundum substantiā scilicet, clarissimè prædicat. Panis denique est & vinum in altari, sed āte ipsam consecrationem. Nam & ipse Dominus panem seu fragmēta panis accepit in sanctas & venerabiles manus suas: sed mox illa benedicens in corpus suū commutauit, cùm diceret: Hoc est corpus meum. Hæc est itaq; Catholici viri doctrina Catholica. de qua plura paulò pòst, vbi de corporali & naturali Christi corporis mādducatione eius sententia proferetur.

CAP. 10. VEnio ad illos etiam grauissimos & orthodoxos patres, quos tu tacitè in duos ordines secreuisti: aliorum quidē authoritati nec detrahere ausus es, nec contrauenire potuisti, sed eam alto sepeliuisti silētio: Cyrilli inquam, Hiero-

solymitani & Gregorij Nysseni: aliorũ verò testimonium apertè reijcis & contemnis, Theophylacti scilicet & Damasceni. Cyrilli quidem, pro hac quam probamus conuersione, hæc est fides, & doctrinæ puritas. Cum igitur (inquit) Christus ipse sic affirmet atq; dicat de pane Hoc est corpus meum: quis deinceps audeat dubitare? ac eodem quoq; confirmãte & dicente, Hic est sanguis meus, quis vnq; dubitet & dicat, non esse sanguinem? Aquam aliquando mutauit in vinum, quod est sanguini propriũ in Chana Galileæ sola volũtate: & non erit dignus cui credamus quod vinum in sanguinem trasmutasset?

Cyrillus Hierosolymitanus claruit circa an. 400.

Mystago: 4.

Diceres, Volane, figuratè trãsmutauit: at sicuti etiam D. Ambrosius fecit, proposito exemplo de aqua conuersa in vinum, ab hac te interpretandi calumnia deterret. Si figurata fuit aquæ in vinum conuersio: & hanc vini in sanguinem figuratam asserueris. Obstruit os mutamq; linguam aduersariorum efficit tã aperta demonstratio.

Sicut aqua in vinũ sic vinũ in sanguinem a Chrõ est cõuersũ.

Nec obscuriùs Gregorius Nyssenus D. Basilij Magni frater pro eadem mutatione decernit, cùm inquit: Rectè igitur & nunc panem diuino verbo sanctifica

Nyssenus vixit circa an. 348.

tum in corpus Dei verbo transmutari dicimus (Et infrà) Panis sanctificatur per verbum Dei & orationem, non comestionem: ad hoc procedens, vt corpus verbi fiat, sed mox in corpus per verbum transmutatur, quemadmodum ab ipso verbo dictum est, Hoc est corpus meum: Quam mutationem, ab exemplo alimenti nostri corporis, quod in sanguinem ossa & neruos commutatur, probat, & infert eam fuisse, ad nostra corpora à corruptione vindicanda necessariam. Ideò (inquit) cunctis credentibus gratiæ dispensatione seipsum impertit (Christus scilicet) per carnem, quæ ex vino & pane constituitur, fideliumq; corporibus coniungitur: vt ea coniunctione cum immortali, homo etiam immortalitatis particeps fiat. Hæc autẽ tribuit virtute benedictionis in illud rerum quæ videntur naturam mutans.

Serm: Catach. de diu: sac:

Hæc tam aperta sunt, vt nec contra mutire vllus Ecclesiæ aduersarius audeat: nec possunt in tã illustri sensu, verbisq; clarissimis, vllæ captari figurarum deceptiones. Pungit enim & grauiter penetrat, erroris q; Zuingliani ipsa viscera eruit, id quod dicitur: panis transmutatur: nec per Luteranam comestionem nec per Volani finem & significationẽ: sed

Non per comestionem trãsmutatur panis nec per finem

sed per Dei omnipotentis verbum: nō ad hoc, vt maiorem gradum & dignitatem, significandi scilicet, (sicut fingit Volanus) acquirat: sed vt corpus verbi fiat panis, & benedictione ipsam naturam immutet. Quàm prouidè Caluinisticis erroribus obicem opposuit: cotemq; in quo falces serpentium cauillationum discinderentur obiecit. Sed temeritas nullis rationibus expugnatur: nec vlli authoritati cedere ne diuinæ quidem didicit.

IAm qd de alijs duobus, quos contēnit & reijcit, Volanus sentiat audiamus. CAP. II.

Restāt (inquit) adhuc duo, quos tu in patrocinium tuæ causæ aduocas, nēpe Damascenus & Theophylactus: qui transformari, transmutari & trāselementari panem in corpus Christi dicunt. Hoc vt non diffiteor ita scripta alia ipsorum expendens, nō hāc crassam, quam tu putas transformationē, illos credidisse dicere possum. (Et infrà) Quamuis, quod ad Damascenum hunc & Theophylactum attinet, cum sint & recentes scriptores, & multis corruptelis ac erroribus non ferendis illorum libri referti sint, non in tanta æstimatione apud nos esse debent, vt eos cum antiquissimis illis orthodoxis patribus conferamus: & quod minus commodè de hoc sacramento ab his dictum

Verba Volani.

est, aliquid inde detrahi posse authoritatis veterum sententiæ iudicemus. Et meministi, Petre, non quamuis scriptorum fecem, sed eximium ac tot ætatibus celebratissimũ scriptorem Augustinum à nobis delectum esse, quem veteris in Ecclesia de hoc sacramẽto sentẽtiæ iudicẽ potissimũ sequeremur. Hæc Volanus. Inprimis putat sibi cũ duobus tantũm certamen relictũ. Cũ aliįs omnibus, imò cum toto orbe Catholico bellum Volane suscepisti: pluresq́ tuæ Hæresis oppugnatores inuenies: quos ego tantò diligentius adiungam & contra te producam, quantò tu illos magis metũm occultans contemnis. Nec enim vnius Doctoris, nec vnius ætatis est Catholica fides: sed omnium consensu approbata, certaq́ successione fidelis populi ad nos deducta cõfessio. sed primũm quàm acriter tuum errorem duo illi inuadant videamus: Verba quidẽ Theophylacti hæc sunt.

Theophylactus floruit circa an. 750.

Quare (inquit) caro non videtur? O homo propter nostram infirmitatẽ: Quia enim panis & vinũ ex his sunt quibus assueuimus, & non abhorremus: ideò misericors Deus, nostræ infirmitati condescendens, speciem quidem panis & vini seruat: in virtutem autem carnis & sanguinis transelementat (Et alibi

alibi) Dicẽs Christus, Hoc est corpus meum, ostẽdit, quòd ipsum corpus Domini est panis, qui sanctificatur in altari, & non respondens figura. Non enim dixit, Hoc est figura: sed hoc est corpus meum. Ineffabili enim operatione trãsmutatur: etiamsi nobis videatur panis: quoniam infirmi sumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem. & ideò panis quidẽ apparet, sed caro est. Quid diuersum tibi, imò quid non consonum cum illis q̃s recensuimus docere videtur? Ferè iisdem verbis loquẽtem pro hac mutatione Nyssenum audisti: Valde certè aperta verba vides: & iam tertiò luce veritatis expugnatus confiteris, vel saltem nõ diffiteris, hanc conuersionem longè ante Lateranense Concilium magnum à patribus fuisse prædicatam: & ab hoc Theophylacto ita agnosci, vt ex diametro ipso, tuis erroribus ipsius opponatur confessio. Tu panem figuram corporis dixisti, ille omninò negat: tu manere, ille non mutari tantùm sed transelementari etiam post consecrationem dicit. Sed ideò, tu inquis, transelementari dicit, quia vera manducatio corporis Christi in sacramento exhibetur. At In Matt.

non

non de manducatione corporis Christi de qua ab initio egimus, quã tu neutiq; realem, sed imaginariam, vti sequenti libro apparebit, statuis & confingis, res nunc nobis est: sed de mutatione elementorum ipsiusq; panis, quem Theophylactus inæstimabili diuinaq; operatione transformari docet: ita vt id omninò non sit quod esse videtur, sensusq; externi in illo prorsus decipiantur (nã nec iudicium eorum ad substantias discernendas pertingit) Quibus Deus cõsultum esse voluit, cùm eos ab horrore quem in humana & cruda carne susciperent, relictis proprietatibus speciebusq; panis liberare voluit: necessariũ quidem ad vitam, imò ipsius vitæ fontẽ cibum propter horrorem non auferẽs: sumendi verò illius modum suauem & sensibus accõmodatũ relinquẽs. Quæ enim hæc esset clementia in infirmum, si pharmacum amarum quidem, sed ad eum sanandum opportunum & efficax, prorsus illi propter horrorem auferretur? Nõ auferendum, si viuere morituros volumus: sed condiendum est

potius

potiùs & modus, suauior magisq́; sensibus infirmi accõmodatus, ad sumendum quærẽdus est. Cum summa igitur in nobis sanãdis vitæq́; immortali inserẽdis misericordia, maximam Christus animarum corporumq́; nostrorum medicus, sapientiam coniunxit. Velamina quidem specierum panis sensibus, ne pharmacum incorruptionis refugiant, opposuit: sub illis tamen amuletum illud diuinum nobis ad manducandum reliquit. Admirabilem certè indulgentiam infinita in nos clementia cõmendatam, Hæretici blasphemare in tãto mysterio, nec agnoscere malũt, quum omni excipere gratitudine & adoratione nobiscum debuissent. Quòd verò per species sola accidentia panis intelligat Theophylactus: non modò vox ipsa quæ inuerti non potest, communisq́; dicendi consuetudo, sed & illa verba apertè declarant. Ineffabili, inquit, operatione transmutatur: etiamsi nobis videatur panis. Quomodo videt̃ panis? iuxta species certè, eò quòd aspectus, gustatus, & tactus panis permaneant,

sensibusq́ cõsuetum manducandi morem non subtrahant. Quomodo verò non est panis? Ex transmutatione scilicet substantiæ in ipsum re existẽs Christi corpus.

Damascenus vixit circa an. Dom. 733. Iam & Damascenus audiatur. Quomodo (inquit) fiet mihi istud dicit sancta virgo, quoniam virum non cognosco? Respõdit Gabriel Archangelus: spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Itaque si nunc interrogas, quomodo panis sit corpus? (diceret Volanus significatione & figura. At non sic Damascenus, & alij orthodoxi)

Lib. 4. de orthodo. cap. 14. Respondeo (inquit) & ego tibi spiritus S. obumbrat, & hæc supra sermonem, & intelligentiam operatur: panis autem & vinũ transmutatur. Nouit enim Deus humanam infirmitatẽ: & quia mos est hominibus panem manducare & vinum & aquam bibere: coniunxit his ipsis suam diuinitatem, & fecit hæc suum corpus & sanguinem: vt per assueta, & quæ sunt secundum naturam, in ijs quæ sunt supra naturam, collocemur. Corpus enim secundum veritatem, coniunctum est diuinitati, Quod ex sancta virgine corpus est. Non quòd ipsum corpus assumptum ex cœlo descenderit: sed quòd ipse panis & vinum trãsmutatur in corpus & sanguinem Dei. Si autem modum requiris, quonam pacto sit; sat tibi sit audire, quoniam

per spiritum S. quemadmodum ex S. deipara seipso & in seipso Dominus carnem sustentauit: & nihil amplius cognoscimus, quã quòd verbum Dei verum est, & efficax, & omnipotens: modus autem inscrutabilis: Neq; & hoc etiam dictu promptum, quomodo naturaliter per comestionem panis & vinum & aqua, per potionem in corpus & sãguinem comedentis & bibentis transmutatur, & non fit aliud corpus, præter id quod prius erat ipsius. Sic & propositionis panis, vinumq; & aqua, per inuocationem & aduentum spiritus S. supernaturaliter trãsmutetur, in corpus & sanguinem Christi, & non sunt duo, sed vnũ & idem. Et vt tuas condemnet & execretur figuras, infert Non est figura panis & vinum corporis & sanguinis Christi (absit enim hoc) sed est ipsum corpus Domini deificatum ipso Domino dicente: Hoc est corpus meum. Non figura corporis, sed corpus. Hæc Damascenus adeò constans & acer huius mutationis Catholicæq; de ea doctrinæ ꝓpugnator. Quære igitur ab illo: illã ne tuam significandi, an hanc veram & re ipsa existentem transmutationem in pane profiteatur? & ab hoc stupẽdo, q̊d hîc agnoscit, & illud spiritus S. potentiæ tribuit miraculo, propositisq; exemplis disce, nihil vnq; illum de tuis tropis

Non duo corpora sed vnum & in altari & ĩ cœlo.

cogitasse

cogitasse. sicut ex purissimis Dei genitricis sanguinibus corpus sibi effecit: ita & hoc ipsum, inquit, ex pane in mysterio facit. Et sicut panis, quem vsu cõmuni sumimus, in nostrum corpus, ita panis quem in altari proponimus in corpus Christi cõuertitur. Et quemadmodum in nostrum corpus conuersus, nõ duo, nec plura, nec aliud quàm quod ẽ corpus constituit: ita & panis Eucharisticus in corpus Christi transmutatus, non aliud, sed hoc ipsum, quod à dextris Dei sedet, corpus efficit. Vsurpa ergo hîc etiam si potes figuras, & tuã Hyperbolen adhibe: vt dicas, cùm Christum ex sanguinibus S. Virginis corpus sibi formasse docet Damascenus, Hyperbolicè eum loqui, hoc est, aliqd quod veritatem excedat dicere. Nam hoc quod affirmat ex pane Christi effici corpus, aliter eludere per figuras nõ poteris. si illa est Hyperbolica dictio, & hæc etiã erit. Res est certè vel summæ superbiæ, vel stupiditatis immensæ: eũ à quo aliquis verbera perfert, blandiri sibi dicere. Ferientem se Damascenum
non

nõ ſetit, cũ cõtra eius hæreſim intonat.
Non eſt (inquit) figura panis corporis Chriſti (abſit hoc) ſed eſt ipſum corpus Domini deificatum, ipſo Domino dicẽte: Hoc eſt corpus meum: non figura corporis.

Non est panis figura corporis sed ipsũ Christi corpus.

Nec ad ſimplicem obedientiam fidei exhortanti obtemperat, cùm dicitur: Si modum (inquit) requiris, quo nam pacto fit: ſat tibi ſit audire, & nihil ãplius cognoſcimus, quòd verbũ Dei verũ eſt, & efficax, & õnipotẽs, modus autẽ inſcrutabilis

Sed potiùs, ne credat omnia, quærit ad ſuum ſenſum obſerandum repagula: & inueniſſe ſe aliqd arbitratur cũ inqt: Confert Damaſcenus ſacramentum Cænæ Domini cum Baptiſmo: & conſueuiſſe dicit Deum humanæ conſuetudini ſe attemperare. Cum itaq; ſoleant homines aqua lauari, & vngi oleo: idcirco Deus his rebus gratiã ſuam adiunxit, & ſpiritum Baptiſmo: ita, cum ſit mos homini edere panem & bibere vinum, his rebus ſuam adiunxit diuinitatẽ: Si ergo (inquit) perinde pani & vino adiũxit Deus diuinitatem, ſicut Baptiſmo gratiam & ſpiritum S. neque tamen mutatur aqua in hæc dona cœleſtia: ſequitur, neq; panem naturaliter in carnẽ, & vinũ in ſãguinẽ mutari, quamuis diuinitatem hæc elementa verbo Dei ſãctificata habeãt adiũctã.

Verba Volani.

Hæc Volanus. Ex comparatione ſimilium, ſicut & in D. Cypriani Emiſeniq;

verbis facere tentauerat, illud quod est inæquale, & in quo non spectatur similitudo assumit: & illud quod solùm ad rem facit prætermittit. Quæ calumniæ in similibus, facilè quidem ab ijs qui veritatem oppugnant inueniuntur: sed lõgè faciliore opera ex ipsa dicentis sententia refelluntur. Nec enim ita Baptismum cum Eucharistia comparat Damascenus, vt per omnia sibi conuenire doceat, & non cuiq; suam naturam & proprietatem relinquat: sed vtrisq; tantũ, imò & alijs sacramẽtis, ad quorum constitutionem oleum adhibetur, (qualia vos degeneres nec veri horũ patrum filij sustulistis) hoc esse cõmune: vt & eorũ materia ex familiaribus vsitatisq; nobis rebus desumatur, & adiunctum aliquod diuinum habeat donum. In hoc tamen cùm à Baptismo, tũ à reliquis sacramẽtis, S. Eucharistia magno interuallo distinguitur: quòd materia ipsius panis & vinum, in res ipsas cœlestes & diuinas, corpus scilicet Christi & sanguinẽ, cõuertatur. Quod tanta asseueratione, sæpiusq; repetentẽ

Materia sacramẽtorũ ex vsitatis nobis rebus desumitur.

Damascenum audisti. Transmutatur, inquit, panis & vinum in ipsum Christi corpus & sanguinem. Quam transmutationẽ in aqua Baptismi, nec ipse saluator tradidit, nec Doctorum quisquam suspicatus est, nec Damascenus vsquam agnouit. At contrà in Eucharistia, mutationem panis & vini in res ipsas cœlestes & diuinas, & ipse saluator asseruit, effecitque dicens: Hoc est corpus meum & omnis orthodoxorum antiquitas, totiusque Catholicæ Ecclesiæ consensus celebrauit. Nec enim aquam Baptismi ita Dominus consecrauit & benedixit, vt eã in aliquod donũ spiritus S. cõmutaret, dicens: Hæc aqua est peccatorũ remissio: sicut in pane & vino eum fecisse constat. quæ in manus accepta benedixit, & ea corpus suum & sanguinẽ verbo per quod facta sunt omnia, effecit. Inde est quòd Baptismi sacramentũ non in ipsa aqua, sed in ablutione & perfusione perficitur. cùm enim materia, verborum adiuncta forma, ad ipsum vsum accommodatur, tum perfectum sacramentum Baptismi censetur. Eucharis-

Baptism⁹ quantum ab Eucharistia differat.

Baptismi sacramentũ vsu S. Eucharistiæ cõsecratione perficitur

charistia verò, consecratione ipsa panis & vini, sine omni vsu & manducatione consumatur: ipsaq; panis & vini per benedictionem (vt Cyrilli verbis vtar) viuificam, transmutatione, perfectum sacramentum efficitur. Illa enim quæ benedicuntur, ante consecrationem quidem, panis sunt & vinum: perfecta verò cõsecratione iam corpus sunt & sanguis nostri redemptoris: vt nihil in eis ad consumationẽ mysterij & sacramenti desideretur. Ideò baptizari ex qualibet aqua quisq; potest: vesci autẽ Christi corpore in quolibet pane nõ potest: sed in illo tantũ, cuius substantia occulta Dei virtute per benedictionem est in Christi corpus commutata. Cum denique in Baptismo nascamur, vitamq; illam æternam hac diuina generatione recipiamus: in Eucharistia verò ad eandem sustentandam & augendam cibus nobis & nutrimẽtum præbeatur: cibũ certè prius formari & effici est necesse, quàm illum manducari. Si pane vescimur, panem prius ex frumento esse oporter, qui comestione ipsa effici, & produci

duci

duci non poteſt. Si Chriſti corpore ali-mur in Euchariſtia, diuina illud virtute nobis ante producatur, quàm vt à no-bis manducetur neceſſe eſt. Quomo-do enim noſtra manducatione fiet? Ni-ſi aliquis lapidem ori admouens vbi il-lum dentibus mandere & mollire ce-piſſet, panem ex illo effecerit. Hoc ergo Baptiſmi aliorumq; etiam ſacramētorū & ipſius S. Euchariſtiæ perſpecto di-ſcrimine, nec verba ipſa, nec mentē Da-maſceni ad ſuos ſenſus Hæreticos con-torquere poterit Volanus. Quem vel ipſe ſuarum figurarum & ſignificatio-num tenebras, tanta luce ſententiarum depellere confitetur: cùm ad aliam ſe dignam ſolutionem quam in eius ver-borum interpretatione inueniſſe ſe pu-tat, confugit: qua miror illum ātea vſū nō fuiſſe. Re deſperata extremum hoc deludendæ veritatis præſidium cui vel maximè confidit, ſibi reſeruauit. Nō recipit ſcilicet Damaſcenum: Theophy-lactum contemnit: Emiſenum non ad-mittit: alios etiam omnes aliter, quàm ſua fert opinio, ſentientes fecibus com-

Volanus S. Doctores contē-nit.

parat. O dignam Volano in apertissimis pro Transsubstantiatione sanctorũ patrum sententijs, solutionem. Torquebat hanc fortem virgam, tanta antiquitate crescentis fidei roboratam, quamdiu potuit: vbi verò vi sua elabi eam ex suis manibus videt, contemnit, & sua nihil interesse putat, quicquid antiquissimi & celebratissimi Ecclesiæ scriptores, & patres, quos ipse fecium nomine cõmaculat, doceãt & tradant. Theophylactus, inquit, & Damascenus minus cõmodè de hoc sacramento senserunt, recentesq; sunt scriptores, & eorum libri corruptelis ac erroribus non ferendis referti sunt. Non modò recentes esse vult eos qui ante octingentos annos claruerunt, sed etiam censorem se illorum & iudicem, imò & conuiciatorem constituit: vt suum illis iudicium & doctrinam præferat, & ad fecium impuritatem Catholicam eorum doctrinam reducat. Si in me hæc maledicta congessisset, meo silentio eius conuiciandi libidinem repressissem: patrum verò & sanctissimorum Christi præco

hum iniurijs totus contabesco: nec tamen maledictis cum illo certare est animus. qua sit obiurgatione dignus, & quas ipse potiùs feces biberit, quãq; impuritatem eructet, res ipsa lectorẽ & series disputationis admoneat. Hæc est illa temeritatis arx ad quã Docto rum victi sententijs vltimum Hæretici habent receptum: ex qua illis licèt in omnem authoritatis maiestatem debachari: vt nil tã sit sanctũ, nõ in sãctorũ tantùm libris, sed & in ipsis diuinis oraculis, quod nõ violare & ipso cõtẽptu deludere audeãt. Eodẽ eni temeritatis & supercilij iure sacros etiã quosdã libros rejciũt & abnegãt vel mutilant. Quid ergo promouebis exercitatissime scripturarum? (ita eniCatholicũ cũ Hæretico certaturũ admonet antiquissimus Tertulianus.) Ista Hæresis (inqt) non recipit quasdã scripturas et si quas recipit, adiectionibus & detractationib9 ad dispositionẽ instituti sui interuertit. Et si recipit, nõ recipit integras. Et si aliquaten9 integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit. Eodẽ modo quid & ego cũ Volano faciã, qui De præ. scrip: Hær:

 ad

ad Ecclesiæ Doctores prius quidẽ magna fiducia prouocat, postq; autem se omnium æquissimis sententijs damnatum sensit, eorundem iudicium refugit cumq; illorum tribunal paulô ante agnouerit, rursus se omnium censorem ac iudicem magno supercilio pronunciat: & vbi cõtra se decretum fuerit, ibi iudicium etiam totius orbis subterfugiendi ipsosq; iudices calumniandi & eorum authoritatem cõuellendi liberam sibi potestatem vsurpat. Satis ergo sit demonstrâsse, Hæreticos vbi ab antiquitatis & patrum testimonijs doctrinæ suæ confirmationem mutuari se cõfingunt, apertissimas fraudes moliri: cùm ipsi nec scripturas, nec mille Augustinos, nec totius orbis Doctores, nisi ea quæ volũt ipsi afferant, quicq; morentur. Sed quæ est obsecro ratio, quæ te ad Damascenum & Theophylactũ, qui eandem cum omnibus Orthodoxis ipsaq; omnium temporum vniuersali Ecclesia de Transsubstantiatione tuentur fidem, reijciẽdum compulit? Libri, inquis: eorum corruptelis & erro-

ribus non ferendis referti sunt. Aut ergo aliquod aliud integrum & incorruptum eorum exẽplar nobis, cuius non sit ambigua fides, siue Græcum, siue Latinum proferas: aut totum mundũ ad eos corrumpendos conspiráſſe, nec vllum tam fidum cuius virtute illorum integritas cõseruaretur extitiſſe dicas. Illud quidem nunquam præstabis: hoc verò in illa arce temeritatis & perfugij vestri consistentem, facilè dicturum te video. Nam quidam ex vestris Minister Zuinglianorũ filius, Polonico nuper edito noui Testamẽti libello, effutire ausus est: nullum eſſe in toto orbe nec Græcum nec Latinum noui Testamenti codicem, tam integrum, & à corruptelis liberum, vt de omnibus quæ in eo leguntur non liceat quærenti sinцerá ne sint & incorrupta dubitare: vt inde concludat, illa omnia quæ scriptura de Christi diuinitate tradit, ab Homousianis, hoc est, Catholicis Arrij illius expugnatoribus, inserta & deprauata eſſe. o perfricatam & omni admiratione maiorẽ audaciam: qua & suum exẽ

Hæretici nullũ eſſe in toto orbe purum noui Testamẽ: codicem cõfingũt.

plar vel potiùs deliria totius mundi fide Ecclesiæq́; Catholicę testimonio pręponit: & prorsus omnes noui Testamenti libros, dum tali eos nota aspergit, abolere constituit. Quid ergo alienum à tuorum ingenijs dixeris: si omnium etiam Doctorum in toto mundo corruptos & adulteratos, esse libros asseras? Huc huc sua retia tetendit sathanas: vt non modò Doctorum, sed ipsius etiam scripturæ diuinos libros primùm in suspicionem erroris per varias traductiones, & linguarum interpretationes adducat: postea tandem eijciat eliminetq́;, & ad fabulas Aesopicas reducat omnia. vt suis tandem Ministris liberum sit aliud Testamentum condere & sublatis vel in suspicionem adductis testibus quæcunq́; velint, tradere & fingere. Quis potiùs nō videt, ideò te hos scriptores reijcere quòd in professione huius de qua res est conuersionis, verba eorum nullum prorsus tuū admittant commentum. Idem certè in D. Augustino, Cypriano, Ambrosio, Chrysostomo, Gregorijs Hieronymo,

Cyrillis & alijs qui pari perspicuitate de 155.
mutatione substantiæ elementorum in Eucharistia testantur, faciendum tibi erat. Maiore tui ingenij cōmendatione illos reiecisses, quos tam turpiter deprauare cupis: tali quidem exitu, vt magis lectori risum, quam in me bellum moueas. Feces impuras eorum purissima monimenta, & omni cōtemptu dignā eorum authoritatem iudicatis, vbi vestrorum dogmatum impuritatem limpidissimis suis antiquissimarum originum & successionis ab Ecclesia Dei deductis fontibus condemnant. Erroribus humanis subiectos & ad scripturæ hoc est vestrarum interpretationum regulam, esse examinandos cēsetis. Quo nihil aliud profitemini, quàm quod nō sancta & Catholica eorum sentētia, sed vestrarum vobis opinionum pertinatia placeat. Et ne simul omnes contempsisse videamini: quosdā adulterina interpretatione inficere conamini: alios verò apertè & sat imperiosè reijcitis.

SED horum nos adhuc contra te, CAP. 12.
Volane, numerum augebimus: quos

tu cōtemnens metum æquissimorū iudicum & causæ tuæ iniquitatē confiteris. Theophilus Archiepiscopus Alexandrinus antiquissimus & celebratissimus hæc etiam pro Catholica in Trās substantiatione sententia testatur.

Theophilus Alex: vixit circa an.390

In Mar: cap: 14:

Sumite (inquit) Hoc est corpus meum: hoc scilicet, quod nūc do, & quod nūc sumitis. Non autem panis, figura tantum corporis ē sed in proprium Christi corpus transmutatur. Nam Dominus ait, Panis quem ego dabo, caro mea est. Sed tamē caro Christi nō videtur propter nostram infirmitatem: Panis enim & vinum de nostra cōsuetudine ē. Si verò carnem & sanguinem cerneremus, fimere non sustineremus : propter hoc Dominus, nostræ infirmitati cōdescēdēs, species panis & vini conseruat: sed panem & vinū in veritatem conuertit carnis & sanguinis.

Habes hîc etiam & specierum panis viniq́, quæ in hac mutatione retinentur, ab ipso pane hoc est substantia panis distinctionem: & apertam conuersionis confessionem. Quam fieri non in figuras tuas, quas clarissimè reijcit, sed in ipsam veritatem carnis Christi & sanguinis confitetur. Quòd verò non degustetur nec sēsibus externis caro ipsa pateat, indulgentiæ Dei in nos & infirmitati

tati nostræ tribuit: ne (id quod etiam illi ferè omnes quos attulimus senserũt) in cruda & humana carne sensus nostri fastidium conciperent. Quod certè in figurata & efficta humana carne nullũ esse, puerile etiam ingenium agnoscit. Adiungo & Esichium illum, antiquitate etiam & singulari eruditione ac pietate commẽdatum, qui hæc de hac nostra conuersione pronunciat. Sanctificationem (inquit) mystici sacrificij, & à sensibilibus ad intelligibilia translationem siue commutationem, ei qui verus est sacerdos, videlicet Christo oportet dari, ipsi de eis miraculum cedere & imputare: quia per eius virtutẽ & prolatum ab eo verbũ quæ videntur tàm sanctificata sunt, quàm cunctum carnis excedunt sensum. Translationem & cõmutationem in sensibilibus pane scilicet & vino profitetur quam ne tu significatione tantùm & figura fieri, somnies, potentiam summi sacerdotis interponit, miraculũ in hac commutatione agnoscit, virtutem diuini verbi per quod facta sunt omnia ad hanc mutationem efficiendam adhiberi dicit: quæ certê figuris & significationibus

Esichius lib. 2. in Leuit. vixit circa an: 400, vel iuxta alios 600

nibus, quas humana ratio rebus sine omni miraculo & diuinæ virtutis propria operatione imponit, conuenire nõ posse, qlibet de media plebe diiudicat.

Hactenus eos attulimus, qui ab Apostolis traditam fidem ad septimum vsq; concilium, Nicenum scilicet secundum deduxerunt: & de hac admirabili in Eucharistia mutatione acceptã doctrinam certa successione propagârunt. Sequitur vt Concilij septimi verba, quibus illi sunt notati, qui huius Hæresis, quæ imagines & figuras tantùm in Eucharistia statuit, spargere semina cœperant, afferamus. Iconoclastæ enim illi dum vnum errorem contemptarum euersarumq; imaginum excusarent, in alterum periculosiorem inciderant: in Eucharistia imaginem tantùm & figuram Christi corporis & sãguinis agnosci debere docebant. Contra quos diuina Concilij spiritusq; S. qui per Ecclesiã loquitur authoritas hæc intonat:

Conc. Nicenum 2. Celebratum an: 794.

Generosi isti (inquiunt) sacrarum imaginum cupientes, contemplationem obscurare: aliam scilicet imaginẽ introduxerũt quæ sanè nõ imago est sed corpus & sanguis. verum

rum vafriciei & improbitati confisi falso sophismate seipsos subuertunt, hanc sacram oblationem propositione fieri dicentes. verum quemadmodum istud dicere aperta insania est: sic & imaginem asserere corpus & cruorem Domini, eiusdem est dementiæ.

Dementes & insanos tanti Concilij maiestas nostri temporis Hæreticos Zuinglianos vocauit, qui quod tum Iconoclastæ hoc ipsi nostra tempestate falsò prædicant, in pane Eucharistico non aliam quàm figuris & tropis seu imaginibus commẽdatam mutationem cõfidendam esse: vt tùm etiam caput hoc serpentis contritum atq; hanc impietatem peruersi dogmatis execratam esse Ecclesiam quilibet deprehẽdat.

CAP: 13. In q̃ a Niceno secũdo vsq; ad Lateranense magnum Doctorũ testimonia recensetur.

VEnio ad illos qui à septimo Concilio ad Lateranẽse vsq; celeberrimum illud, quod magnum est vocatum, viguerunt: hancq; Transsubstantiationis ꝓfessionem acerrimè tutati sunt: & illam Berengarij perfidiæ, quæ tum nasceba tur, opposuerunt. Quorum authoritatem posterior ætas teipso authore obscurare non debebit: non modò quòd vna & eadem semper Ecclesiæ per om

nes

nes ætates decurrat fides, & successio-
ne Doctorum, qui ceu filij pro patri-
Psal. 44. bus nascuntur non per mille annos tan
tùm, sed iuxta Apostolum vsque ad secu
li cõsumationem acceptæ ab initio doc
trinæ vigeat prædicatio: sed etiã quòd
& tu Bertramum & Rabanum, illum
quidem suspectum, hunc verò iniquè
ad tuas partes contortum, qui eodem
seculo vixerunt, pro te attuleris. Maior
enim mihi pro veritate Catholica, in qua
posteriores a prioribus non dissentiunt
testibus aduocandis, libertas est assu-
menda, quàm tibi pro Hæresibus quæ
& ab Ecclesia & inter se perpetuô discre-
pant conueniat. Præsertim quòd dixe-
ris in Lateranensi Concilio Innocentiũ
tertium auctorem Transsubstãtiationis
extitisse: ante verò à nullo vnquam in Eccle
sia Dei rem ipsam vsurpatam & agnitã
fuisse. Quod quàm verum sit, licèt iam
sis in illis sanctissimis & grauissimis pa
tribus, tuo casu expertus: nunc tamen
etiam in his alijs quos non iam ad pro-
sternendam sed ad obruendam & obli
uiosæ sepulturæ tradendam tuam Hæ-
resim

resim aduocabo, experieris. Prodeat im primis Rabanus ille: &, quid de hac cõuersione substantiarum tradat, audiamus. cuius tantò maior apud te authoritas erit, quantò eũ pluribus encomijs extuleris: ex quo aliquid calumniosa interpretatione infectum, videris pro te attulisse. Is ergo in libro de corpore & sanguine Christi hæc habet. Illud, inquit, fidei sacramentum iure veritas appellatur: Veritas dum corpus Christi & sanguis virtute spiritus in verbo ipsius ex panis viniq; substantia efficitur: figura verò dum sacerdote quasi aliud gerente ob recordationem sacræ passionis ad aram (quod semel gestũ est) quotidie immolatur agnus: Videtúr ne tibi obscurè mutationem substantiæ panis asseruisse? clariorem sententiã nulla stupiditas desiderat. Eius igitur tam apertam vocem, postq; tanti illũ facis amplectere: non in transsubstãtiatione tantũ, sed & in tremendo Missæ sacrificio, quotidianaq; Agni immolatione, quam in eodẽ Eucharistiæ sacramento, non minus manifestè celebrari ab Ecclesia cõfitetur. Sed cui iam doli vestri obscuri esse possunt? non pa

Rabanus vixit circa annũ 840.

Missæ sacrificium.

trum maiorumq; ab Eclesia acceptã doctrinam, sed vestra cõmenta sectamini: nec illorum vos sententia, sed deprauatum iudiciũ vestrum opinioq; permouet. Nã quod ex illo attuleras dicente: Sacramentum ore percipitur, virtute sacramenti interior homo satiatur: Sacramentũ enim in alimentum corporis redigitur: virtute autẽ sacramenti, æternæ vitæ dignitas acquiritur. Maluit dominus corporis & sanguinis sui sacramenta ore percipi, & in pastũ eorum redigi: ut per visibile opus, inuisibilis ostenderetur effectus. Hoc prorsus nihil tecũ, imò cõtra te potiùs facit. Nam vbi dicat post conseruationem in Eucharistia manere panem, id quod tu defendis, nõ demonstras: nec in his verbis quicq; simile confingere potes. Signa enim sacramentalia specierum, quæ sacramenta etiam vocantur, quæ sensus corporis nostri percipiunt & degustant, manere, id quod nos docemus profitetur: nuda verò & re ipsa, hoc est Christi corpore vacua prorsus negat: sed illis virtutem adcõferendam æternæ vitæ dignitatem inesse clarissimè demonstrat, cùm dicit: Virtute sacramenti æter

ti æternæ vitæ dignitas acquiritur. virtus itaq; hæc in sacramento, quæro Volane, à panē ne an à Christi corpore promanat? An non stultū est vel pani hoc tribuere, vel ex effectu ad causæ demōstrationem peruenire non posse? Non panis, sed corpus Chrsti in sacramēto vitam nobis æternam producit: in quod ipsum panem secundum substātiam conuerti alio loco, vti diximus, Rabanus docuit.

Venio ad Paschasiū Corbiensem satis celebratum sui seculi scriptorem: qui se Bertramo tuo, Hæresis crimine notato ipsiusq; Berengarij parente pro Catholica, ab ipsis Apostolis accepta, ad suaq; tempora propagata de hoc sacramento doctrina, opposuit. Quem pro veritate contra nudas tuas figuras ipsaq; substantiarum mutatione depugnātē audiamus. Quia sic voluit, inquit vt caro eius esset & sanguis hoc mysteriū, in nullo dubites, si Deum credis: sed vera fide habeas in animo, quod est hæc caro illa quæ oblata est pro mundi vita (Et infrâ) Vnde nec mirum, si spiritus s. qui hominē Christum in virginis vtero sine semine creauit

Paschasius vixit circa an: 884.

Libr: de corp. & sang: Do. in Sacr:

Transsubstanti.

uit, ipsam etiam panis & vini substantiam carnē Christi & sanguinem inuisibili quotidie potentia, per sacramenti sui significationem operatur: quamuis nec visu exterius nec gustu saporis conprehendātur. (Et infrà) Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus noui testamenti, non qualiscunque, sed qui pro vobis effundetur in remissionē peccatorum. Nec ita dixit cum fregit & dedit eis panem (audi Andrea) hæc est, vel in hoc mysterio est quædam virtus, vel figura corporis mei: sed ait, non fictè. Hoc est corpus meum. & ideo hoc est quod dixit, & non quod quisque fingit. Quàm præclarè figmenta illa Berengarij, qui paulò pòst progenitore Bertramo est subsequutus, præuiderat, & eius deliria ātequā nata essent confutauit: vt prius medicinā, quàm vis illa morbi pestifera erūperet, præparasse videretur. quod magis etiam lector mirabitur, cū hæc quæ sequuntur apud eundem legerit. Sed quidam (inquit) loquacissimi magis quàm docti, dum hæc credere refugiūt quæcunque possunt (ne credant quæ veritas repromittit) opponunt & dicunt, nullum corpus esse, quod nō sit palpabile & visibile: hæc autem, inquiunt, quia mysteria sunt, videri nequeunt nec palpari, & ideo corpus non sūt: in figura carnis & sanguinis hæc dicuntur, & nō in proprietate naturæ carnis Christi, quæ

quæ passa est in cruce & nata ex maria virgine. Istud est potissimum Caluinistarum nostri temporis argumẽtum: quo etiam Volanus, vti libro sequenti dicemus, vtitur. quod quàm acriter vir iste expugnet, spectemus, Ecce (inqt) quàm bene disputant cõtra fidem sine fide, ne credant: quia fides nõ est eorum quæ videntur, sed quæ non videntur, teste Apostolo. Vnde quia non videntur mysteria sunt & sacramenta: & ideo in fide hoc sũt qd dicũtur & veritas testatur, propterea qa sperandorum sunt, non aliud iure quàm caro & sanguis Christi creduntur. Alioquin præfata s: synodus Ephesina, cui contradicere nulli fas est, plusq; Euangelio, nunq̃ auderet abnegare quod abnegat, nisi ex Euãgelio, & affirmare verè viuificatricem carnẽ Christi in hoc sacramento, & ipsius verbi propriã factã. Vita enim naturaliter, inqũt vt Deus existens quia propriæ carni vnita, vnde si apertius de his dici possit nescio, aut si manifestius vbi totũ quod Christus est, prædicatur, non in figura sed in re & in proprietate atq; in natura. Hæc Paschasius. & ipse tuorum figmentorum hostem se acerrimum declarat: recq; ipsa, proprietate, & natura, ex panis substãtia Christi corpus effici probat, & tanta contentione defendit: ipsiusq; Ecclesiæ

Caluinistarũ argumẽta ante annos 700: cõfutata.

Zuingliani disputant contra fidem sine fide.

Ephesina synodus aduersatur Zuinglianis.

Non in figura sed in re est corpus Christi in Euchar:

in concilio Ephesino authoritatem interponit. Sequitur Fulbertus Eps Carnotẽsis qui hæc in Epistola ad Adeodatum pro ea subãrum conuersione, testata reliquit. Dubitari (inquit) ne fas est, vt ad cuius nutũ cuncta subitò ex nihilo substiterunt, si pari potentia in spiritualibus sacramentis terrena materies naturæ & meritum sui generis transcendens, in Christi substantiam cõmutetur, cũ ipse dicat, Hoc est corpus meũ. (Et paulò post) Hic est sãguis meus. Si Deum omnia posse credis, & hoc consequitur ut credas. nec humanis disputationibus discernere curiosius insistes, si creaturas quas de nihilo potuit creare, has ipsas multò magis valeat in excellẽtioris naturæ dignitatẽ cõuertere & in sui corporis substantiam (nõ in tuã Volane significãdi dignitatẽ) trãsfũdere

Fulbert9 Carnotẽ. vixit circa annũ. 1010.

Adsit & ille qui cominus iam cũ Berengario manus conseruit, Lanfranc9 Eps Cantuareñ, is ita pestilentem illũ affatur Berengarium. Prior, inquit, sẽtentia per quã dicitur, Panem & vinum altaris, solummodò sacramẽta sunt, tua est tuorumq; sequacium: posterior verò, quæ enunciat, Panem & vinum Altaris solummodò sũt verum Christi corpus & sanguis nullius hominum est. Nam & tu veritatẽ carnis & sanguinis negas, & Ecclesia Christi

Lanfrãc9 vixit cir: an. 1052. Lib: adversus Bereng. de verit. cor.

sti sic panem in carnem & vinum credit cō uerti in sanguinē, vt tamē salubriter credat & veraciter recognoscat sacramenta esse Dominicæ passionis, diuinæ propitiationis cōcordiæ & vnitatis (Et infrà). Confitetur Ecclesia toto terrarū orbe diffusa, panem & vinum ad sacrandum proponi in altari: sed inter sacrandum incōprehensibiliter & ineffabiliter in substantiam carnis & sanguinis cōmutari (Considera hæc Andrea) Non tamen panem negat, sed panem qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo: panem quem Ambrosius & Augustinus eisdē verbis vocāt epiusion (Et infrà) Credimus igitur terrenas substantias, quæ in mensa dominica per sacerdotale ministeriū diuinitus sanctificantur, ineffabiliter, mirabiliter operante superna potentia conuerti in essentiā Dominici corporis: reseruatis ipsarum rerum speciebus & quibusdā alijs qualitatibus, ne percipiendo cruda & cruenta horrerent, & vt credendo fidei præmia ampliora perciperent. Hæc Lanfrancus. cui duos alios in hoc cum Berengario prælio commilitones, & ipsos nō cōtēnēdi nominis scriptores addā, Adelmanum Brixieñ, & Hugonem Lingonieñ Episcopos: qui epistolis ad Berengariū scriptis Catholicam de Transsubstantiatione fidem defenderunt & ipsum authorem tam impij erroris, ad palinodi-

Trāssub:

Trāssub.

am inuitarunt. Hugo quidem inter cæ-
tera ita Berengariũ affatur: quibus ver-
Hugo Lingonẽ: vixit circa annũ 1056. bis me etiã cõpellare te Andrea cogita.
Tecum (inquit) sæpius reuoluendo ne vl-
tra quæso argumenteris de omnipotẽtia di-
uina. sicut enim non capis quomodo verbũ
caro factum est, sic nec potes iterum capere
quo modo panis iste mutetur in carnem, &
Trãssub: vinum in sanguinem transformetur, nisi te
docuerit omnipotentiæ fides. Alioquin luc
taris cum Deo non in brachijs patriarchæ.
(Et infrà) Desiste ergo fore erroris miles, de
siste impugnare cœleste mysterium: perpen
de, quia Dei voluntas & verbum omni na-
turæ supereminet: & qui in facturis potens
est, potentem etiam transformare credas,
sicut scriptum est: mutabis ea, & mutabun
tur. Dei enim velle pro facto est. Memorare
q̃d in Ambrosio legitur de sacramẽtis. Quia
corpus quod conficimus ex virgine est.

O inuictam Ecclesiæ fidẽ quã ex Chri-
sti ipsius voce acceptã, à sanctisq; patri-
bus traditam, ceu fortissimum clypeũ
telis, & perfidiæ Berengarij opposue-
runt: & quæ inuiolata per tot secula ad
nos in agnoscenda illa conuersione pe-
renni quodam nec interrupta successi-
one descendit. O deplorandam cæcita
tem vestram Ecclesiæ desertores, quos
nõ modo ipsius veritatis quæ Christus

est

eſt, vox, ſed nec omnium ætatum teſti- monia orbiſq́ totius, ſanctorumq́ Dei ſacerdotum conſenſus permouet. Quę iam etiam longè illuſtriorem tot Con- cilia contra Berengarium celebrata de- monſtrant. Hac enim ſub hoc Lanfran co tempeſtate peſtis illa Berengarij eru pit: ad quam è medio tollendam tota Occidentis ceu ad cõmune incendium extinguendum cucurrit Eccleſia. Prædi cabat leuiſſimus homo ille toties per- iurij reus, & ſupbia magis tumẽs, quã vlla virtute & eruditione cõmendatus, id quod tu nunc temerè defendis: Ni- hil præter panem & vinum, ſignis tan- tùm immutatum, ex altari nos ſacroſã- cto accipere. Quæ impietas primũ con cilio Turoneñ, deinde Vercelleñ, vlti- mô frequentiſſimo Romano eſt dam- nata. Aderat præſens Berengarius & veritatis ab omnibus ſeculis in Eccleſia creditæ depoſito, quod fideles Chriſti ſacerdotes cuſtodierũt, diſputationũq́ certamine cõuictus, licèt aliquoties ad vomitum rediret, hãc ad extremũm in Romana ſynodo cantilenam cecinit.

Circa an. 1050.

Tho Vualden. to 2: de sacra an. 1079. Trāssub.

Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum quæ ponuntur in altari per mysterium sacræ orationis & verba nostri redemptoris substantialiter conuerti in veram & propriam ac viuificatricem carnem & sanguinem Domini nostri Iesu Christi: & post consecrationem esse verū Christi corpus, quod natū est de virgine, & q̄d pro salute mundi oblatum in cruce pependit, & quod sedet ad dexteram patris: & verum sanguinem Christi, qui de latere eius effusus est: non tantum per signum & virtutem sacramenti, sed etiam in proprietate naturæ & veritate substantiæ sicut in hoc Breui continetur. Et ego legi & vos intelligitis: sic credo, nec contra hanc fidem vlterius docebo. Sic me Deus adiuuet & hæc sancta Euangelia.

Iuramentum Berengarij

Hæc adeò manifesta sunt Volane, vt nec à Magistro tuo Caluino negari potuerint: qui se hanc Berengarij doctrinam sequi fatetur, & hoc nomine plurimùm sibi gratulatur: quòd scilicet eorum sectetur impietatem qui tot ante seculis damnati ipsimet etiam suo ore pestifera dogmata, & abominandas Hæreses execrati sunt. Potuit ne aliquid acerbius contra Caluinum decerni q̄ quod contra se ipse pronunciauit: vt dici meritò possit, ex ore tuo te iudico serue nequam. Tua damnatus sen-

In admo: Vestphali.

tentia, non te ab Apostolis & eorum successoribus, non ex scriptura, non ex traditione Ecclesiæ, sed à Berēgario homine tot sacerdotum suffragijs damnato, totq; periurijs contaminato, ad extremum tamen pænitente hoc virus hausisse verisimê dixisti. quem si sequutus es errantem, sequi etiam pænitentem & palinodiam cātantem debebas. Qui cum his etiam verbis expirâsse traditur. Deus meus hodie mihi apparebis ad meam saluationem, vt spero, propter pænitentiam meam: aut ad duram meam damnationem, sicut timeo, propter eos quos peruersa doctrina decepi, quos nequiui reducere ad veram viam tui sacramenti: Gratulare tu quoq; tibiipsi Volane, quòd non ex scriptura, non à progenitoribus tuis non ab ea quæ te genuit Ecclesia, sed a Zvinglio sanguinario, & qui in castris seditionis author occubuit, pestiferū hoc dogma acceperis. Quòd nō modò ipsa Ecclesia in sacros. Concilio Tridētino, alia antiquiora sequuta, cōdemnauit: sed ipsi etiam eius magistri Hæretici, Luterus & omnes Cōfessionistarū quæ ad viginti præ

cipuæ

nota de ex[...] Berengarii

Ioan. Gerson cont. Romantiū de Rosa.

cipuæ numerantur sectæ, ita execran-
tur, vt nec eâdem prouincia Zuinglia
nos & Sacramẽtarios perferant: sed e
os exilijs & supplicijs, vti nuper in Sa-
xonia accidit, persequãtur. Est scilicet
q̃d tibi tuisq; graduleris: vt rectè in vos
Pro: 2. illud prophetæ dicatur: Lætantur cum
malè fecerint, & exultant in rebus pes-
simis.

An. 1088. Subsequens postea ætas sãctissimũ
illũ & toto orbe celebratissimũ Char-
tusiæ Patriarchã suscepit Brunonẽ: cuius
hæc etiã est ꝓ Trãssubstãtõe sẽtẽtia.
In Epist. 1. Cor: 11: Trãssub: In his (inquit) verbis quibus Christus gra
tias egit patri, dicitur substantia panis ap-
posita in altari transire in veram carnem &
verum sanguinem Christi. (Et infrà) Acci
pite, inquit, & manducate. In qua re Chri-
stus insinuare voluit, non sufficere nobis, si
credamus nisi gustãdo videamus, quàm sua
uis est Dominus: sicut manducare nõ pro-
ficeret, nisi crederemus: & sic q̃d panis pau-
lò antè erat, nunc verò est corpus meum.

Zachar: Vixit 1092 Libro 4. de cõcor: Euangel: Trãssub: Paulò pòst subsequutus est Zacharias
Chrysopolitanus, vir suo seculo celeber
rimus: qui hæc pro ea cõuersione quã
defendimus, testata reliquit. Tria (in-
quit) distingui oportet, quæ & sancti Do-
ctores communiter asserunt, & Ecclesia fir-
miter

miter tenet. Vnum est, quòd panis & vinũ per consecrationem vertuntur in verum corpus & sanguinem Christi. (Et infrà) Secũdum est, quòd visibiles species panis & vini sensibus nostris subiacent, æquè post consecrationem, vt antè. Et quæ sequuntur: Tertium verò est quia corpus Christi in humana forma impassibili, incorruptibili, localiter & inuisibiliter in cœlo est, quousq; in iudicio omnibus appareat. (Et infrà) Tenet igitur Ecclesia corpus Domini localiter esse in cœlo. Tenet verum corpus Domini, quod pependit in ligno super altaria esse.

Et paulò pòst Berengarij Hæresim cōdemnatã ab Ecclesia troposq; eius & figuratas loquutiones abijciẽs, quoddam carmen suo tempore celebratum laudat, in quo is versus legitur: In Christi carnem panis substantia transit.

Trãssub:

Seqtur Anselmus ille sãctitate et doctrina clarissimus Episcopus Cãtuariensis, cuius hæc sunt verba. Quod in manus (inquit) accepit panis erat. Sic enim dixit: Accepit panem, & per illam benedictionẽ, panis fit corpus Christi: non tantum significatiuè, verum etiam substãtiuè. Neq; enim ab hoc sacramento figuram omninò excludimus, neq; figuram solam admittimus. Veritas est, quia corpus Christi est: figura est, quia immolatur quod incorruptibile habetur

Anselmus libr: De diui: offic: vixit circa an: 1096.

Non tantũ significatiuè sed substantiuè panis fit Christi corpus.

Lib: de S: Cor. Chr:

Trãsſub:

tur: (Et alibi) Qua igitur dignatione & pietate dignatus eſt in humeros ſuos leuare ouem perditam, id eſt, in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumere perditam naturam noſtram: eâdem pietate & dignatione nunc terrenam panis ſubſtantiam ſuſcipiens in virtute diuinæ potentiæ, cui in omnibus & per omnia ſubest cum voluerit poſſe, transmutat in veritatem carnis ſuæ. Cũ verò mutat naturam in naturam, ſubstantiam in ſubstãtiam, corpus in corpus, hoc ſolum de eo immutatum in eo in quod mutatum eſt, facit ſupereſſe, quod res exigebat: ſcilicet, vt cũ panis ſubstantia in illam tranſierit ſubstãtiam quæ ſedet in dextris patris, de qualitate prioris ſubſtantiæ hoc ſibi vendicet, vt ſecundum myſterij ritũ, tractabile fiat & guſtabile ex illa natura quod non erat ex ſua. Sed contra omnẽ ſecularis philoſophiæ rationem & intellectum, mutata ſubſtantia panis in aliam ſubſtantiam, ad quoddã myſterij obſequium, quædam accidentia, quæ illi inhærebant, ſic tranſtulit non mutata.

Con': ſecularis philoſophiæ rationem, accidentia per ſe in Eucha: ſuſtentãtur

Verè diuinam Eccleſiæ & ſpiritus S. vocem quæ per hanc tubam editur, & tã clarè pro ſubſtantiarum mutatione decernit. Iam vix centum anni ad Lateranenſe illud Concilium, in quo vox eſt Trãſſubſtantiationis vſurpata, reſtabãt cùm hi celebratiſſimi Eccleſiæ Dei præcones, rem ipſam à Chriſto, & cõtinua

Apoſto-

Apostolica traditione deq; Ecclesiæ totius sensu receptam, docebant. Percenserem complures, qui illis annis centũ Catholicam de hoc mysterio, hacq; mutatione tutati sunt fidẽ: sed vnus ꝑ multis sufficiet Hugo ille de S. Victore notissimus magnæq; eruditionis Theologus: q hæc Libro de sacramẽtis ꝓfitet. Sacramentum (inquit) corporis & sanguinis sui, ipse Dominus instituit: quãdo post cœnã veteris Paschæ, panẽ & vinũ in corp9 & sãguinẽ suũ diuina potestate trãsmutans, Apostolis sumẽdũ tribuit (Et infrâ) Per verba sãctificatiõis, vera panis et vera vini substãtia, in verũ corpus & sãguinẽ Christi cõuertitur: sola specie panis & vini remanẽte & substantia in substantiam transeunte. Habes ex mille ducentorum annorũ spatio tot â me productos testes: quorum prædicatione ad magnum Lateranense Concilium, veritas Catholica de conuersione substãtiæ panis & vini in Eucharistia, in ipsũ Christi corpus & sanguinem propagata est. Quorum authoritati & tantis rationũ momẽtis cũ te cedere necesse sit, consequitur vt iam te tui pudeat teq; ipsũ reprehendas, ꝙd tanta vanitate verborum rerumq; ipsarum

Hugo de s: vict: vixit an 1133

Substãti: in substã: transit in specie panis manẽte.

rũ imperitia dixeris, nullũ Ecclesiæ Doctorum ante concilium Lateranẽse de hac mutatione quidq tradidisse. Hoc enim quàm verum sit, si quid tibi inest pudoris agnosce, & tuam deinceps temeritatem reprime. Noli arbitrari Hæreticorum libros hæc quæ ex purissimis S: Doctorum fontibus attulimus, attingere, aut sincerè ex eis quicq deprimere: quorum hoc vnũ est studium, vt sanctorum authoritatem deprimãt & ab eorum lectione, vt Hæreticis tantũ figmentis credatur, omnes deterreant. Ad solius S. scripturæ lectionem in qua superborum ingenia illaqueentur, alliciunt, & suæ quemlibet industriæ in scriptura interpretanda & Doctoribus Ecclesiæ cõtẽnendis, confidere docẽt.

CAP: 14. In q̃ Concil. Lateranense defẽditur

Iam restat vt ad defensionem S. Cõcilij Lateranensis, q̃d tu tot probris exagitas, veniam. In eo itaq illud, quod de Transsubstantiatione alia Concilia præsertim Vercellen̄, Turonense Romanaq aliquot contra Berengarium stabilierunt, & quod singulorum per tot ætates Doctorum, confirmauit prædicatio

dicatio, traditur & docetur. Id quod separatim in singulis Ecclesiis & prouincijs ex omnium seculorũ traditione ad quemlibet peruenerat: hoc vbi conuenêre vno ore eademq́ fide õnes professi sunt. Neruos scilicet callido illi Berẽgariano serpẽti, alijsq́ Tropistis q minus rectè de augustissimo sacramẽto senserunt, succisuri, & figuratorum sensuũ cuniculos obstructuri, antiquæ rei nomen adhibent Transsubstantiationis, & alta voce ex illa totius Ecclesiæ, Concilij scilicet, generalis arce, 1200. præcones Christi, õniuũq́ Ecclesiarũ capita, profitẽtur. Panis & vini substantiã in Eucharistia, post consecrationem in substantiam corporis & sanguinis Christi conuerti. Quorum tanta est authoritas Volane, vt in terris post Deũ nulla sit amplior. Licuit ne tum Ecclesiæ ad extirpandam radicitusq́ euellendã Hæresim sacramentariam Conciliũ cogere? Quis aliter nisi malè sanus dixerit? licuit pro veritate decernere? qs hoc neget? illa enim est Conciliorum per omnes Ecclesiæ ætates necessitas,

Quod separatĩ doctores sacri docẽt, hoc simul in Concilijs profitentur.

Conciliũ Lateranẽse Magnũ neruos õnes tropistis succidit.

Cõcilio-rum necessitas.

vt vix aliqua Hæresis sine eius sit autho ritate repressa & extincta. De qua illud est D. Augustini. Ne quisquam dicat (in quit) quod accepimus ab Apostolis; hoc se quimur. Quantò robustius nunc dicimus: quod Ecclesiæ consuetudo semper tenuit, quod hæc disputatio dissuadere non potuit & quod plenarium Concilium confirmauit hoc sequimur. Nam quod vnus aut alter Ecclesiæ Doctor tradit, licèt sit orthodoxus, non ita certam habet fidem vt in eo aliquis securè cõquiescere possit: quod verò spiritus S. doctrina per Ecclesiam, quæ potissimùm in Cõcilijs auditur, prædicat, vbi illud Apostolicũ enũciatur, Visum est spiritui S. & nobis illud ratum & omni stabilitate firmatũ inconcussumꝙ esse oportet. Ideò idem S. Augustinus, Quod per vniuersæ Ecclesiæ (inquit) Statuta firmatum est, vel vnius Episcopi authoritati, vel vnius prouinciæ Cõcilio præferendũ est. Et de D. Cypriano illam protulit sententiam. Satis ostendit, facilimè se correcturum fuisse sententiam suam, si quis ei demõstraret: Baptismum Christi sic dari posse ab ijs, qui foras exierunt, quemadmodum amitti non potuit, cum foras exirent. Vnde multa iam diximus, nec nos ipsi tale aliquid auderemus

De Bapt: con: Donat: lib: 4 cap: 6:

Ibidẽ lib: 2. cap. 1.

asserere, nisi vniuersæ Ecclesiæ cõcordissima authoritate firmati: cui & ipse sine dubio crederet, si iam illo tempore quæstionis huius veritas eliquata & declarata per plenariũ cõciliũ solidaretur. O si eam industriã, quam ad deprauandas D. Augustini sententias adhibes, ad eius humilitatem & æquitatem animi imitandã accommodasses, Volane: cito Concilijs cederes, & veritatis lumẽ consequereris. Quorũ tantã nõ solũ authoritatẽ sed etiam necessitatẽ vir S: agnoscit, vt nec se sine Cõcilio quædam dogmata ꝓfiteri audere prædicet: seq; ipsum, & õnes alios etiamsi Martyrio sint celebratissimi decretis illorũ subiacere fateat̃. Catholica enim est, & nõ vnius Prouĩciæ, nec vnius Doctoris illa, quæ salutis ẽ ãchora, fides: ad õnes gẽtes & linguas ꝑtinet: & totius orbis iudicio & cõsensu, nõ vnius Saxoniæ, nec Heluetiorum, nec vnius Luteri aut Caluini opinio. vt vel hinc summa Catholicorum sapientia deprehendatur, quòd salutem suam tam preciosã scilicet, totius orbis Episcoporũ & pastorum consensui concredat: Hæreticorum verò nũquam satis deflẽda stultitia appa-

Sine conciliĳ authoritate D: Augu: quædam docere nõ audet.

Sapientia Catholicorum.

Act: 20.

reat, qui vnius aut aliquorum opinioni fidentes, salutem suam temerè in periculum adducunt. Nam scripturam, sicut obstrepere soletis, iudicem constituere, & ab inanimis licèt sanctissimis legibus, quas quisque ad suam mentem contorquere potest, Euangelio animato neglecto depẽdere, arbitriumque muti iudicis expectare, adeò est animi insipientis & temerarij, vt hoc ipso nolle se cuique parêre, õneque iudicium subterfugere velle declaret. Quod vos Zuingliani Vilneñ: vestro periculo didicistis Cum enim scripturæ placitis vestros filios verumque germen vestrum Antitrinitarios & Anabaptistas conuincere, et obedientiæ legibus coercere vultis: tãta contra vos scripturæ testimonia cõgerunt, vt meritò illis semper terga vertere victi cogamini. Nullus est cõtentionum finis, nulla blasphemiarum frena: nouæ in dies ex scriptura vestra Hæreses, noua prælia exurgunt. Sola ergo est Ecclesiæ & Conciliorum authoritas, quæ Hæreses reprimit: cuius parêre iudicio Domini iussio nobis õnibus

Scriptura mutus iudex, Ecclesia Euangeliũ animatũ.

Matt. 18.

hibus imperat. Cuius necessitate & remedio illa tum ætas sub Innocentio tertio, contra pestem Berēgarianorum vsa est. Nam quia Hæreses ipse Dominus & Apostoli prædixerunt esse futuras, eandem Concilorum & Ecclesiæ authoritatē ad illas comprimēdas esse Christus voluit. Qui certè non sat prudenter suæ sponsæ consuluisse videretur: si Hæreses quidem omnibus seculis Ecclesiam perturbare permitteret, ad resecandas verò illas potestatem in Concilijs præcipuè positam auferret. Quæ tam malè est instituta Resp: quā cum fures perturbent & bona priuatorum diripiant: non etiam continuum eos coercendi habeat magistratum, Hæreticos semper eandem pestem afferentes perferemus, & non semper arma & remedia contra tales grassatores & incendiarios in domo Dei, reposita existimabimus? semper itaq; eandem & æqualis ponderis ad concilia cogenda, dogmata stabilienda, Hæresesq; & prauos mores extirpandos, Ecclesiam habere potestatem, nō nisi magnæ demē-

Cōciliorū eadem est sēper ad reprimendas Hæreses authoritas.

 tiæ

tiæ ingenium negauerit: vt hoc Lateranēse, Niceno & illo quod laudas Chalcedonensi par omninò esse, nec vlla in re authoritate ipsa illis cedere statuendum sit. Agè ergo Volane, perscrutemur causas, cur iudicium Cōcilij Chalcedonensis de duabus in Christo naturis agnoscendis recipis, & contra tuos Anabaptistas opponis & vrges: Lateranensis verò pro Transsubstantiatione respuis? Videris ne eandem hîc Ecclesiam Christi, hoc est, ex toto orbe Catholico coactos Episcopos, Pastores, & Doctores, totam Ecclesiam repsentantes, quam in Chalcedonen̄ honoras, agnoscere? Si agnoscis, illi, ne sis Ethnicus & Publicanus obedias, & de veritate Transsubstātiationis, pro qua sicut illa pro duabus naturis decernit, nil ambigas. Si non agnoscis, vbi tum seculo illo alia fuerit Ecclesia, præter illam quæ in Lateranensi synodo fuit collecta, ostende. Nā in illa ex omnibus totius orbis partibus aderant Episcopi. Non deerant quatuor Patriarchæ: ex Asia, Europa, Africa præcipua & pri-

Eadē fuit Ecclesia in Lateranensi quæ in Chalcedonensi concilio.

Matt: 18.

ma Cleri pars coacta, mille ducentorum Sacerdotum impleuit numerum. Ostende igitur vbi tum viguit alius Christianismus, vbi alius ab Apostolis Episcoporum deriuatus ordo & illa vobis terribilis successio? in quibus linguis, quo duce, alia præter illam, Christi Ecclesia & quarum gentium hospitio excipiebatur? Vbi ille vniuersalis omnium nationum consensus visebatur? Iam Berengarianæ sectæ pauca supererant vestigia: nullus ab illo qui Diaconus fuit, Episcoporum defluxit ordo: eius pestis nec omnes gentes impleuit, nec continua per omnes ætates cucurrit. Quid ergo restat quod respondeas, nisi illud tuorum magistrorum, impudentissimum comentum, Ecclesiam verã mille tantum annis superuixisse. Mortua est ergo & concidit Ecclesia? Domini itaque verbũ & promissio eius fallax est: qui eam omnia pericula superaturam, & se cum illa ad cõsumationẽ seculi futurum tã magnificè recepit? Doce Volane Ecclesiam Christi per mille tãtũ annos durare debuisse. Quod vbi effe-

Ecclesia non per mille tantum annos est superstes Matt. 28.

ceris, ad huc tibi illa restat quæstio dissoluenda, quam D: Augustinus obijcit idem quandoq; mentientibus Donatistis: quomodo si iam tot ante annis est mortua Ecclesia, ad te Volane, q te in vera esse cũ tuis iactitas, post annos quingentos peruenit? vnde & q̊ decursu tẽporum & hominum, non chartarum nec librorum, in quibus esse nõ potest, ad te deducta est hæc tua Ecclesia, quã vel suscitasti mortuam, vel nouam cum nouis Apostolis & nouo Euãgelio produxisti? Si igitur eadẽ est semper perdurans, in tot gentium consensu, in Episcoporum certa successione Ecclesia, & hæc eadem in Lateranensi fuit, nec aliam illo seculo ostẽdere, poteris, nec nunc eius ad te deriuationem demonstrare: quare eius diuinã & spiritus S. vocem non recipis? Quia (inquis) nullus in Lateranensi fuisse dicitur, quẽ cũ Irenæo, Tertulliano, Augustino, Hieronymo, Basilio, Chrysostomo cõferre rectè possem9 Mihi verò etiam istos, & quoscunq; alios priuatos Ecclesiæ Doctores, in edẽdo pro veritate Catholica testimonio,

Contra Parm: epi lib: 3 ca: 2:

Ecclesia non per libros, sed per hominũ fidem decurrit.

longè ipsa authoritate superâsse Patres Lateranen: videntur: eò quòd in Concilio ex tota Ecclesia legitimè coacto, illam vocē pro Transsubstantiatione nomine Ecclesiæ verissimè ediderint: Visū est spiritui sancto, & nobis. Quā vocem nemo vnquam Doctorum etiā sanctissimus & omni doctrina celebratissimus sibi vsurpauit: nemo eam authoritatem, quæ omnibus simul in Cōcilijs debetur, vendicauit. Huic voci ōnes se, suaque omnia quæ scripsissent & dixissent, subiecerunt. Quicunque in docendo & scribendo priuatis illis donis ad vtilitatem Ecclesiæ excelluerunt, tātùm omnes suas lucubrationes valere voluerunt, quantùm Ecclesiæ Conciliorumque approbatio, sicuti ex D. Augustino audisti, permisit. Porrò aliqua ætate Ecclesiæ Pastores & Doctores defuturos, magnæ est stultitiæ cogitare. Multis enim in locis Apostolus proclamat: Deum in Ecclesia constituisse Doctores & pastores, non pro vna tantū ætate, sed ad sanctorum vsque consumationem in ædificationē corporis Christi

Patres Lateranēses quemuis doctorē authoritate superant:
Act: 15.

Ecclesia sēper habet Doctores & Pastores
Ephe. 4.
1. Cor. 12.

Exo. 13: Matt: 5. sti. Qui cùm sint ceu stellæ & columnæ, semper populo Dei lucẽtes, & nũquam occidentes, illæq́ in candelabro positæ lucernæ, & ciuitas illa in monte quæ abscondi non potest: fit, ne vnq́ illos spectãtes & audiẽtes, aberremus: & ne efficiamur, id q̃d infert Apostolus Veluti paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum & astutia ad circũuentionẽ erroris:

Psal: 44. vt cùm alij ꝓ alijs, filij pro patribus cõtinua successione generantur, & accepta à maioribusq́ relicta Catholica prędicatione, gubernandique nos pote-

Matt: 23. state ex Moisis Cathedra diuina nobis depromant oracula: tum nos securos & ab omnium errorum tenebris vbi illis Domini iussione obediuerimus, vindicatos, arbitrari & certò credere debeamus. Aliâs enim scripturæ tantùm corticem sine diuinis Doctoribus & magistratu Christi ac viuo Euangelio loquẽtibusq́ legibus retinentes, omni vento doctrinæ fluctuaremus: & omni Hæreticorum errore, & nequitia subuerteremur. Necesse est itaq́ semper Docto

Sine Doctoribus & Concilijs fluctuaremus õni vento doctrinæ

res in Ecclesia esse, & eandem in tuẽda veritate Conciliorumq́ maiestate authoritatem retineri. Nam quòd Innocẽtium tertium Lateranensi Cõcilio praesedisse ad diminuendam Concilij illius fidem spectare putas, vehementer erras. Hoc ipso enim illud cõcilium legitimum ostendis, & à Petro ipso cui non oues tãtùm, sed & agnos Christus commendauit, praesidente administratum fuisse probas. Ad cõmendationẽ Concilij Chalcedonensis, quod tu sequeris, pertinet, quod in eo Leo Magnus per suos praesederit. vbi, cùm vox illius, in lecta eius epistola, pro duabus naturis in Christo pronuncians, audita est, omnes illi S. patres, in illa verba ꝓruperũt: Petrus per Leonem loquutus est. Omnes ita credimus. Haec ẽ fides Apostolorum. Pari modo ad Lateranẽ decreti summam laudem spectat, quod non sine Petro quicq́ definierint & quod ipsum in Innocentio tertio loquutum agnouerint. Vtinam vel huius tanti Concilij quod admiraris, Chalcedonẽsis scilicet, exemplum tam illustre Ioan: 21.

stre, tu quoq; Volane sequutus, Petrū in Gregorio XIII loquētem agnosceres: & illum, sicuti Patres illi sanctissimi in Leone, & Lateranense in Innocentio fecerunt, vniuersalem totius gregis Dominici pastorem salutares, errorum tandem tuorum (ad verum, à quo desciuisti, pastorem, Helueticis lupis relictis, conuersus) exitum inuenires.

Recentiora Concilia propter eundem S. S. quo regūtur, eandem cum antiquis habent authoritatem:

Sed recentiora, dices, Concilia antiquis illis exæquari non debent. Noli seduci: nunq; spiritus S. in gubernanda Ecclesia virtus potest consenescere: nec nimia vetustate, vti hominibus accidit, impedita delirare potest Christi spōsa. Doctoribus quidem ātiquioribus ceu testibus, seculis illis apostolicis magis viciniori bus, plus authoritatis tribuimus: Concilijs verò ceu magistratui diuino, per quem spiritus S. ad vniuersalem omnium temporum tuendam & interpretādam fidem loquitur, vna & eadē est semp authoritas ac maiestas. At Monachorum, inquis, turba inutili frequens illud Lateranense Concilium fuit. Turbam inutilem vocas, Volane, perfectio-

perfectionis Euangelicæ Cõsiliorumq; Christi sanctissimos sectatores, gregis Dominici speculum, & totius orbis ob vitæ puritatem margaritas, atq; clarissima propter doctrinæ præstantiam luminaria. Ex quorũ numero cum paulò ante Rabanum vtilissimum Ecclesiæ Dei sanctitate & laude eruditionis insignem, tot extulisses encomijs: cuius est constantiæ, nunc rursus omne illius institutum familiamq; proscindere, & õnes Monachos turbã inutilẽ & orbem Christianum prægrauantem tam leuiter pronunciare? Rabanum saltem in cuius laudes exarsisti excepisses. Certè tantò commendatius Concilium illud videri tibi debuit, quantò selectiores & ex toto terrarũ orbe collectos Christi milites numerauit. Sed dicit Volanus: Solus Innocentius Tertius Pont: Rom. primus author & inuentor nouæ vocis & rei Trãsubstãtiationis extitit, perniciosamq; hãc Ecclesiæ doctrinã libro à se edito promulgauit, & in decreta Pontificum retulit. Et quia non alia res ad dignitatem sacerdotij Papistici & opes tam numerosæ multitudinis locupletandas facere visa est: non est mirum, si cum magno applausu ab vniuerso mo-

Monachorum grege recepta ē et approbata, fortissimeq; semper ad nostra vsq; tēpora defensa. Hæc est illius pertinacia, quam nulla ratio superat, nullius authoritatis pondus edomat. Omni antiquitate, ex qua tot sunt â nobis huius cōuersionis testes producti contempta, in suo hæret luto: ad solas calumnias & iacienda conuicia promptissimus, ad cedendū verô authoritati tātæ ac rationi, surdus prorsus velut aspis obturans aures su-
Psal. 57. as. Vbi autem veritatem labefactaturū se desperat ad scrutandos animi recessus (quod solius Dei est) ac probra & contumelias testium qui pro ea faciunt conuertitur. Propter augendam Sacerdotij dignitatem opesq; locupletandas Patres Lateranenses pro Trāssubstātiatione definiuisse comminiscitur. Sed fuit iam benè Volane, per mille ducentos annos cōstitutum sacerdotium: ab ipso Christo & Apostolis receptū tremendi Altaris mysterium, totus orbis Orientalis Occidentalisq; Ecclesia offerebat: nuncq; etiam summa sacerdotij noui Testamenti dignitate offert Deo,
non

non panem & vinum, sed, vt verbis D. Augustini vtar, corpꝰ sũmi Sacerdotis & Pontificis Iesu Christi benedicti. Opes verò Ecclesiæ longè ante Lateranẽsem synodum, si modò aliquam habes Ecclesiæ annalium cognitionem, fuêre ampliores, quàm vt ad eas augendas vlla fuerit arte opus, quæ liberalitate & eleemosynis piorum constabant. Illud verò ad summam laudem decreti Lateranensis nolẽs forsitan protulisti, quòd eius doctrina ad nostra vsq; secula per quadringentos prope annos sit propagata, semperq; fortissimè defensa. Hoc enim ipso Catholicam hanc esse fidem sanctũq; dogma confirmâsti. Ea enim re Hæreticorũ falsa dogmata à Catholica Christi doctrina distant, quòd illa aquæ pluuiæ instar, nunc cum impetu sordes omnes platearum deferens decurrit, paulò post verò desiccata, nil perẽne & cõtinuũ, sed fossarũ tãtũ præcipitia & cisternas (quæ, vt ait scriptura, aquas continere non possũt) relinquit. Catholica vero prædicatio instar fluminis purissimi, quod lætificat ciuitaem Dei

De Trinit. cap: 14.

Hæreticorum dogmata sũt instar aquæ pluuiæ.

Hier: 5.

Catholica prædicatio est instar fluminis cõtinua & perennis

Dei, continuo & perenni decursu successionêque sacerdotum, & illis parentium populorum, non interrupta ad nostra vsque secula promanat, salutiferasque illas aquas nobis suppeditat. Quod vel in hac Berengariana tua Hæresi contemplare. Impetus pluuiæ fuit illa impietas quæ signa tantùm in Eucharistia ponebat, ipsum verò re existens Christi corpus auferebat: pertraxit secum impuros quosque qui ex nobis prodibant, sed non erant ex nobis: sed citò fide Ecclesiæ Conciliorumque decretis repressæ & exsiccatæ illæ aquæ impurissimæ, per quadringentos prope annos interierant, nec continuum ad nostram ætatem habuerunt decursum: fossas tantũ aqua vacuas, in quas Zuinglius, Caluinus & eorum discipulus Volanus incideret præcepsque caderet, reliquerant. In quibus quó nam modo tuã sitim Volane extinguas, & quam animi quietem habeas, tu melius probas. Quicquid ergo nec perenne est, nec omnium temporum, Hæreticum est: Catholicum non est. Quod

1 Ioan: 2:

autem

autem omnia secula implet, nec euelli vnquam potest, sed ad nos ab ipsis Apostolis nõ interrupta successione peruenit, omni honore recipi & Catholicum existimari debet. Accipe ergo & hanc quam pro nobis verê pro te incautè agnouisti huius de Transsubstantiatione doctrinæ per hos etiam prope quadringentos annos ad nos deductam successionẽ, quæ etiam aliorum Conciliorum Generalium authoritate stabiliebatur.

Florentinum sub Eugenio, Quarto a Græcis & Latinis celebratum hanc etiam pro hoc diuino dogmate edidit confessionem. Forma (inquit) huius sacramenti Eucharistiæ sunt verba saluatoris quibus hoc conficitur sacramentum. Nam ipsorũ verborum virtute substãtiæ panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur. Eandem impietatem suscitatam ab Husso, Constantieñ Conciliũ in articulis Viclefi execratur: cùm tres illos eius condemnat errores. quorum tertius est, quo substantiam panis materialis & vini, post consecrationẽ in sacramento Altaris remanere, sacrilego

CAP: 15.

An: 1434.

In vnione Armeno.

An: 1414.

go ore asserebat. Subijciam & diuini illius nostroq; iam seculo celebrati vniuersalis Concilij Tridentini sententiam in qua eadem fides patrum & orthodoxorum ad nostra tempora ab Apostolis propagata, vno spiritu & vno ore personat. Quoniam (inquit) redemptor noster, corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idq; nūc denuo S. synodus declarat: per consecrationem panis & vini, cōuersionem fieri totius substātiæ panis in substantiā corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius, quæ conuersio conuenienter & propriè à S. Catholica Ecclesia Transsubstantiatio est appellata.

Sess. 13: Cap: 4.

His ego spiritus S. vocibus & Ecclesiæ per Concilia, hoc est, per omnium gentium & linguarum Episcopos & Pastores loquentis sacratissimis institutis, cōcordiq; & per tot secula non interrupta successione decurrentis fidei, longè tutius meam salutem credo, q̄ vnius Apostatæ loquacitati & perfidiæ in vno aliquo obscuro angulo ꝑstrepēti. Qua enim excusatione digni sunt isti eorū sectatores (inter quos est & Volanus)

qui clarissimũ, & toto orbe coruscans lumen Catholicæ veritatis cernentes, has tenebras sequuntur: & à tutissimo S. scripturæ portu Conciliorum, antiquitatis, successionisq; & omnium nationum fide Christi imbutarum cõsensu, spiritu inflato carnis suæ abrepti, in certũ naufragiũ et Piratarũ istorũ Helueticorum manus deferuntur. Quæ enim vox est ista obsecrò? Christi Domini nostri & Dei omnipotentis apertissima verba: Hoc est corpus meum relinque, & homuncionis vnius interpretationem accipe: totius orbis Doctorum & Conciliorum prædicationẽ contemne, & vnius Zuinglij apostatæ expositionem amplectere: Romanam Ecclesiam omnium, teste Ireneo, antiquissimã, & B. Petri pastoratu à Christo commendato, & ab ipsa Apostolorum origine per manus recepto, insignem, & ad nostra vsq; secula perdurãtem in ea Christi fidem, suspectam habeto, & vnũ Caluinum hac tempestate natum, ab omni sceleris & erroris suspitione liberato: emortuas & iam ãte tot Lib: 3. Cap: 1:

annos condemnatas à toto orbe Christiano opiniones sequere, & continuatã per omnes ætates Ecclesiæ doctrinã postpone. Cuius est hoc infantiæ? putares ne puero recẽs vsũ rationis adepto hæc deliria psuadere aliquẽ posse? Sed hæc ẽ illa maledictio, quæ pænã in illos scelerum deriuauit: vt videntes non videant: & quia charitatem veritatis non receperũt vt salui fierent: ideò mittet eis Deus operationem erroris, vt credãt mẽdacio. Dicere me hîc aliqd tua maledicta quæ in SS. Concilium Lateranense, diuinosq; totius orbis Doctores illos præsertim, quos scholasticos vocamo Theologos cõgessisti, coegerũt. Sufficiebat, Volane, illis licèt hoc cõflictu indignis tuorum cauillorum velitationibus certare, & à conuitijs abstinere. Sancta Concilia ipsáq; Christi Ecclesiã & orbis totius Pastores imô omne illud seculum quod Berengarium est subsequutum, insanum vocas: Doctores Ecclesiæ, quòd aliquas quæstiones, quæ tibi curiosæ videntur, inuexerint, execrandos & blasphemos, & in Christum

Esa: 6. Matt. 13. 2: Tess. 2.

Scholasticos Doctores temerè proscidit Volanus:

ſtum cõtumelioſos appellas. Quã ob cauſam obſecro, tot eos cõtumelijs affeciſti? Quia ſcilicet, quæſtiones de varijs circa Euchariſtiam euentibus ſuſcitârũt diſputârũtq́;. At non quærere aliquid vt error fugiatur, ipſaq́; perfidia expugnetur, & prudens fidelibus adhiberi poſſit cautio, ſed aſſerere & tueri, q̃d diuinæ voci, Eccleſiæ decretis, Confeſſioniq́; Catholicæ repugnat, impiũ, blaſphemum, & Hæreticum exiſtimari debet. Cùm præſertim quædam quæ dicuntur, non tam illi qui dicit, ſed qui dicere cogit, tribuẽda ſunt. Cùm ea ſcilicet vel caſus aliquis, vel Hæretica temeritas extorquet. Neſcis, Volane, forſitan tales hos eſſe ſcholaſticos Theologos, quorum pleriq́; cum ſummis illis Doctoribus D. Auguſtino, Chryſoſtomo, Ambroſio, Nazianzeno & q̃busuis alijs pietate, vitæ ſanctimonia & eruditionè, licèt non antiquitate, comparari poſſunt. Non ſine confeſſione timoris quem vobis incutiũt, à te & ab omnibus Hæreticis tàm turpiter traducuntur. Nulla enim eis peſtis pa-
 ratiór

ratior, quàm quæ ex eorũ doctissimis disputationibus descendit, cogitari potest: vt nõ sine causa lupi isti fortissimos sagacissimosq́; gregis Dominici custodes oderint, sublatósque esse velint. Quanto Hæresium omnium interitu, & Ecclesiæ incredibili fructu in disputando desudarunt, vel hoc vnum declarat: quod nullum ferè sit Hæreticorum res omnes nostræ fidei oppugnãtium, argumentum, nullum tam acutum sophisma, quod non ipsi præuiderint, & è manibus aduersariorum ereptum in hos ipsos retorquere docuerint. Fideles & Catholicos ita contra vos armârunt, ita omnes dolos vestros detexerunt, ita omnium cuniculorum vestrorum meatus perscrutati sunt, vt viã nobis ad triũphos ex vobis reportãdos non ostenderint solùm, sed parârint etiam. Tractauerunt difficilia fateor, nec populari modo: sed non curiosa, nec sine fructu suscepta. Nã illis ad Catholicos contra omnes Hæreses instruendos, & sine omni metu suscipiendã dimicationem sunt vsi. Hinc fit, vt si qui-

Hæretici scholasticos Doctores sicut lupi canes a grege Dominico amotos esse vellēt.

Scholastici Doctores omnia Hæreticorum Sophismata præuiderant.

bus

bus Ecclesia Dei Doctoribus, his vel maximè multùm se tribuere agnoscat: & ex eorũ studijs ipsisq; spolijs Aegypti, litteratura scilicet prophani nominis Philosophorum, ditatam se per eos & exornatam, defensam, ac in multis fidei nostræ mysterijs declarandis tuendisq;, & si non probandis, adiutam meritô fateatur. Armatam hanc & terribilem, omniumq; scientiarum præsidio instructam phalangem, Hæreticis terrori, Catholicis solatio in hoc seculorum fine, quod omnium impijssimos, omnesq; fidei nostræ articulos abnegãtes Hæreticos, ipsum etiam gentilismum infælici postliminio reducẽtes, erat habiturum, spiritus S. produxit: vt proiecta, sicut iam probamus, ab Apostatis & Hæreticis diuina scriptura, haberet Ecclesia, vnde vel ex ipsa naturali ratione, sicut cum ethnicis & diuina oracula contemnentibus consueuit, impios apostatas redargueret: & fidei nostræ mysteria esse etiam rectæ rationi cõsentanea demõstrare posset. Si quid verô quod curiosum videri potuit pertracta-

Scholastici Doctores Aegyptum spoliarũt, vt Ecclesiã ornarent:

Scholasticos Theologos cur Spi: S: in hoc fine seculorũ produxit.

Scholastici Doctores duo semper in disputando tenuerunt:

Hæretici prouocati ad colloquia nō comparent.

Hæretici lucem fugiunt, & in āgulis imperitorum obstrepunt.

rūt: duo Illa semp sanctissimè retinuerunt. Alterum, ne quid à sacra scriptura, definitionibus Ecclesiæ, patrumq; sententijs alienum assererent: alterum, vt sua omnia iudicio Ecclesiæ relinquerent subijcerentq;. Quæ quidem acies Christi militum inuictissima, quàm vos aspectu suo perterrefaciat, iam toties indictis hîc Vilnæ vobiscū publicis cū de S.S. Eucharistia, tùm de alijs Theologicis thematibus, disputationibus, pbauimus. Ita enim toties vocati refugistis, vt metu propriaq; imbecillitate, & causæ iniquitate confessa ne in aspectū quidem prodiretis. Eô quòd catulos leonum illorum circà gregem Christi agere excubias sciebatis. Sed lucem fugere, & inter idiotas, rerumq; diuinarū imperitos, vti assueuistis, pro margaritis, vbi est qui eas internoscat nemo, vitra, pro Dei verbo commēta vestra vēditare in obscuris angulis eligitis. Ab his Volane tantò diligentiùs declinandum tibi censeo, quòd non verborum pugnam, vti soles, instituunt: sed sentētiarum grauitate, disputandi acumine,

rerumq́ ipsarum pondere, iugulũ Hæreticorum petunt.

CAP. 16.

Venio ad ratiunculas tuas, vltimã in hoc libro propositi mei partem. quibus tu in ipsa fronte Trãsubstãtiationem impugnare volens, teipsum irretiuisti, & multis contradictionibus implicatus exitum non invenisti. Certè stultissimo consilio propter definitionem Sacramenti, veritatem deseruisti Christi: vt malis in illis verbis, Hoc est corpus meum, te esse indefiniendo argutum, quàm Christum in dicendo verũ. Sed argutiæ istæ ad tuæ imperitiæ argumenta reducuntur. Nam & definitionem illam Sacramenti, propter quam Corpus Christi ex S. Eucharistia tollis, non intellexisti & quòd in cognoscenda Catholica de Sacramentis doctrina nihil didiceris, ipsemet es testis copiosus. Quid enim tam crudum & indigestum dici potest, quàm quod tu affers quia Eucharistia est Sacramẽtum, hoc est, sacræ rei signum, ideo nil in ipsa præter nudum panem, qui sit tantùm corporis Christi signum & symbolum

Volanus propter definitionem Sacramenti, veritatẽ Christi deseruit.

 cõfite-

confiteri oportere: Esto,sic à quibusdā non insulsè hanc descriptionem sacramenti esse vsurpatam: sed à nullo vnquam sacrorum Theologorum tam stultè & pueriliter esse acceptam & intellectam, vel hoc vnicum demonstrat: quòd nō omnia rerum sacrarum signa, sacramēta esse dixerunt. Quod certè iuxta te se qui debebat, vt bonitas definitionis, quam vel ex Triuio petere tu poteras, comprobaretur. Si enim latiùs se extē dit definitio, quàm rei quæ definitur limites pati possint, quis illā non meritò reprehendat? Iam ergo Volano & scriptura sacra & imagines omnes & tragicæ rerum sacrarū repræsentationes sacramenta erunt. Quid enim in imagine tuæ illi descriptiōi deerit qua doces: Cum per visibilia, & externa elementa aliquid aliud traditur, quod re & natura sua ab illis diuersum est, sed similitudine tamen aliqua cōuenit, Mysterium siue sacramentū id agnoscamus oportet. Imago certè Christi vel sancti alicuius, & diuersam habet ab eo quem refert naturam, & similitudinem in lineamentis quandā. Conclude ergo illam Zuinglianicum

Volano omnes sacræ imagines sunt sacramenta Euangelica.

esse

esse, & hoc in noua lege Euangelicum sacramentum. Talia sint apostatis & Hæreticis sacramenta. Qui cum duo tantùm, Baptismum scilicet & Euchari stiam nomine statuunt: definitione vel ignoratione potiùs, infinita concedũt. Disce ergo, Volane, antequam docere cœperis: non quodlibet signum rei sacræ, Sacramentum esse, sed illud tantũ, præcipuè in Euangelica lege, quod hominem consecrat, & illi aliquam sancti tatem confert, ipsamq; rem sacram in se continet. Ideò ipsemet D: Augustinus de aqua seu ablutione Baptismi hæc cũ admiratione & stupore pronunciat:

Non q̃d libet sacrum signum est sacramentum.

Tract: 80 in Ioan.

Vnde ista virtus aquæ, vt corpus tãgat & cor abluat: Ablutioni aquæ, emundationem animæ tribuit in Baptismo. Nunquid quia nudum est signum? Absit. Sed quia sub signo diuinam habet operatricem illam ad hominem immutandum & in filium Dei conuertẽdum efficaciam. Quod in diuinissima Eucharistia longè est illustrius: in qua signorum substantia, relictis externis speciebus, in rerum sacrarum, quæ significã-

tur

tur, substantiam conuertitur: sicuti iam sat copiosè probauimus. Vt meritò à discipulo Apostoli Pauli Sacramentũ sacramentorum appelletur. Vt ita sit sacræ rei signum, quod non modò signet sed rem etiam ipsam, corpus scilicet & sanguinem Christi contineat: modo ab aliĳs Sacramentis diuerso. In aliĳs enim quæ actione non consecratione ipsa perficiuntur, signorum substantiæ non immutantur: in hoc verò vti demonstratum est, remanentibus panis & vini propter rationem Sacramenti speciebus, ipsa natura & substantia panis & vini in res ipsas hoc est, in corpus & sanguinem Christi consecratione conuertitur. Sed spectemus cùm sacramentũ symbolum tantùm & nudum signum rei sacræ vocat, quàm stabilem de rebus tanti momenti habeat sententiam. Dicit enim: Cum Sacramentum Dominus instituit, Sacramentum manducandum & bibendum tradidit. Certè non sola signa, sed res ipsas communicauit. Vno igitur eodemq; modo, dicat aliquis, & res externa visibilis & elementaris, & interna cœlestis inuisibilis manducatur? Absit: Externa enim

Dionis. Areop.

nim hæc quæ ſenſibus ingeruntur, quæ ocu lis videntur, quæ manibus contrectantur, quæ guſtu percipiuntur, in ventrem conijci untur & in ſeceſſū abeunt: Interna verò & cæleſtia nullis ſēſibus ſunt expoſita, ac propterea non ore carnali ſed ſolo ſpiritu & anima, hoc eſt fide manducantur. Hæc ille. Quid dicat, quid ſequatur, & in vtram ſe partem vertat non ſatis ſciens. Primò quidem Sacramenta nuda eſſe ſigna aſſeruit, & inde in Euchariſtia panem tantùm eſſe & ſignum re vacuum concluſit: deinde, pudore forſitan victus, ne Iudaiſmi profeſſor videretur, non tantùm ex ſignis, ſed etiam ex rebus conſtare ſacramenta, & vtrūq; ad eorum naturam & definitionē pertinere docet: vltimò verò, ne hæc varietas & ſententiarum leuitas ſufficiat, id &d in definitione ſacramenti coniunxit, in eorum vſu & ſumptione ſeparat: cùm docet, non ideò ſi quis ſacramentum ſumat, rem etiam cœleſtem ſumere: ſicuti inferiùs etiam de Iuda probat: quem ſacramentum, hoc eſt, panem ſumpſiſſe, rem verò cœleſtem non ſūpſiſſe affirmat. Sed quis iā hæc deliria

Sententiarũ in Volano mobilitas.

& tam promptam in mutandis sentẽtijs animi mobilitatem perferat? adeò nulla est de tãtis rebus apud illum, qui suo sensu ducitur constans asseueratio. Aut Sacramẽtum signum esse tantùm dicendum erat: aut si natura illius talis est, vt ex re etiã quam signat diuina cõstet, quó nam modo qui Sacramentũ sumit non vtrunq; sumere existimari debet? Cùm enim hæc diuinæ sit & increatæ virtutis, rerum tàm diuersarum partiũq; cõnexio (sicuti est animæ & spiritus nostri qui inuisibilis est cum hoc corruptioni obnoxio corpore,) quó nam pacto separabit homo, quod coniunxit Deus? Quomodo illa quæ sua natura in vnã rationem sacramenti coalescunt, & tam admirabili nexu cohærent, vsu humano disiungentur? Homó ne vel humanus vsus aut abusus Dei tam diuina opera infecta & disiuncta reddere poterit? Sed notæ sunt nobis tuæ insidiæ: times scilicet, ne ex hac cõcessione, in qua signa externa cũ rebus cælestib9 in vnam sacramenti naturam coire, fateri compelleris, nos in-

Vsus humanu9 res a signis sacramẽtorum nõ disiungit.

feramus

feramus, vel ipsa potiùs rerum connexio ostendat, corpore etiã, Christi corpus, dum sacramentum Eucharistiæ sumitur, manducari. Sed frustra hîc iam obsistis, frustra repugnas, Volane non modò enim hæc coniunctio signorum cum rebus in vna sacramenti natura hoc postulat: sed & corporum nostrorum salus, intimáque cum anima cõnexio hoc requirit: ne corporalia sacramenta, hoc est, res cœlestes corporibus quibusdam externorum elementorum vestitæ, à corporum participatione remoueantur. Ad totum certè hominem sacramentorum vsus pertinet: per quem non animæ tantùm, sed & corpora nostra redimuntur & saluantur. Totum enim hominem saluare venit, qui pro toto mortuus est. Itaq; sicut canalis per quem ad os vinum defluit, vinum proculdubio habet & illud suo etiam modo imbibit, cum inde odorem vini contrahit: ita & caro Christi sub corporalibus speciebus ad animam deueniens, à corpore quod non sicut canalis cum ore sed cum ipsa ani-

ma in vna hypostasi & persona constituitur, longè verius manducatur: vt ab ipso Christi corpore incorruptionem, si ad salutem anima bene disposita accipit, consequatur. Quia igitur nec signa à rebus quæ Deus in sacramenti constitutione coniunxit, nec animam à corpore in vsu sacramentorum ipsiusque vitæ æternæ fructu separare poteris: fateri oportet corpore etiam non solùm anima, Christi nos corpus manducare. Qua de re, licèt vberior in libro sequenti suscipietur tractatio: tamen hoc etiam hîc adiungendum est. Vnde ista quæ tam falsò asseueras petisti? ex qua scriptura, ex quo orthodoxo patre hoc assumis, vt dicas, corpore nos sola externa signa, & non rem ipsam, hoc est, Christi corpus sumere? cùm nos tibi ex tot antiquissimis sanctissimisque testibus, tuum hoc inuentum condemnantibus contrarium afferamus. Ita enim scriptum reliquit Tertullianus. Caro corpore Christi & sanguine vescitur, vt & anima de Deo saginetur. Et Irenæus: Quomodo dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam quæ à corpore

Corpora etiam nostra Christi corpus manducant.

4. contra Martio. de res. carnis.

Domini & sanguine alitur. Et D. August: Mediatorem Dei & hominum Christum Iesum carnem suam nobis ad manducandum sanguinemque ad bibendum dantem, fideli corde & ore percipimus (Et alibi) placuit spiritui S: vt in honorem tanti sacramenti, in os christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm externi cibi. ET Cyrillus Alexandrinus. An fortassis putant ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? Quæ cũ in nobis fiat, nõ ne corporaliter q̃que facit communicatione carnis Christi Christum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium membra Christi sunt? ET Eius synchronus Leo Magnus. Nil prorsus de veritate Corporis Christi & sanguinis ambigatis: hoc enĩ ore sumitur, q̃d corde creditur.

Irenæ. 4 cap 34. con. Hær.

Cõt: adu leg: & pro: lib. 2 ca: 9 & Episto 118.

In Ioan: Lib: 10. cap: 13.

De Ieiun: 7 mens: Serm: 6.

Noli itaque Volane contra has grauissimas patrum sententias confingere & de tuo cerebro has imposturas afferre, aliud in Eucharistia corpore, aliud anima sumi. Hoc enim ore sumitur, quod corde creditur: ipsum scilicet diuinissimum Christi corpus sub visibilibus panis speciebus. Quæ si nudæ in Eucharistia considerentur, tum rectissimè dici potest, aliud nos videre oculis corporis, aliud credere oculis mentis: at quia nudæ non sunt illæ panis & vini species (cum substantia elementorum illorũ

mutata, verum ſub illis Chriſti corpus latitet) propter hanc indiuiduam eius cum ſpeciebus externis coniunctionē, & admirandum nexum, idem prorſus ore accipitur quod corde, iuxta S. Patrum ſententias, creditur. Proinde illud ex D: Auguſtino nil prorſus tecum facit, quòd dicat: Ista (inquit) ideo dicuntur Sacramenta, quod in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, ſpeciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem. Si enim ſenſus corporis noſtri qui tantùm rerum accidentia diiudicant, de ſubſtantia verò nullum ad eos pertinet iudicium, conſulantur: panem eſſe & vinum quia panis proprietates ex guſtatu, tactu, viſu deprehendunt, in altari renunciant. Cæterùm intellectus qui ſolus rerum ſubſtantias conſiderat, vbi ex Chriſti diuinis verbis concipit fidem: iam contra omnes ſenſus decernit, nec panem eſſe poſt conſecrationem in altari, ſed ipſū corpus Chriſti, in quod mutatam ſubſtantiam panis credit, confitetur. Separansq́; ſpecies & accidentia panis, ſub q

Serm ad in ſan.

bus

bus Christi corpus occultatur aliud se videre oculis carnis, aliud credere oculis mentis prædicat. Nisi tam insulsè bonarum artium præsidio orbatus, ipsaq; ratione destitutus, videri oculis & tangi manibus rerum substantias, & non accidentia tantùm sentias. Quæ res extremæ esset inscitiæ.

Eodem sensu & Irenęus, quo tu etiam abuti pro tuis commentis tentas, protulit, Eucharistiam sacram ex duobus constare ex re terrena & re cælesti. Terrenum enim est quod in speciebus sensus considerant, gustus scilicet ille, sapor, & color panis & vini (quis enim hoc terrenum quod ex terra procreatum est negauerit?) cæleste verò est illis contectũ Saluatoris nostri corpus & sanguis. Itaq; de duabus in hoc sacramento non naturis, quod Irenęus non dixit, sed tu confingis, sed rebus potiùs noli esse in Eucharistia solicitus, nec vt Rabani hoc authoritate confirmes necesse est, maiore facilitate hoc tibi quàm tu velles concedimus: duas scilicet res in Eucharistia esse, & terrenã

quæ sensibus deprehenditur, & cæleste, quæ sub terrenis occultata credit. Ad alteram tuã ratiocinationẽ venio.

Altera ratio Volani refutatur.

Si substantia, inquis, panis mutari dicatur, nulla iam similitudo, nulla analogia inter visibilia signa & res inuisibiles intercedet, atque sic tota vis & proprietas sacramẽti deperibit. Sed vanus est iste metus, Volane, & leuissima ad veritatẽ Christi simplicemque eius verborum sensum relinquendum coniectura. In hoc enim Sacramento etiam post consecrationem & ipsam substantiæ elementorum mutatiouem, signa ipsa sunt integra: & ad sacramenti quam tu vrges proprietatẽ, sẽsibus exterioribus, postquam accidentia manent, nihil est ad significationem & analogiam sublatum. Cum enim sẽsus externi nil præter species & accidentia rerum dijudicent, de substantia verò omne iudicium superiori facultati, intellectui nẽpe relinquẽt nihil prorsus manentibus speciebns panis, ad panis naturam desiderãt. Quæ re ab oculis, gustatu, & tactu quid nã in Eucharistia habeant: omnes panem

Sensibus propter quos sũt in sacramentis signa nil in speciebus deest.

se ha-

ſe habere renunciant. Nec aberant in eo quod metas eorum facultatis non excedit: verè enim ibi eſſe proprietates & accidentia panis probantur: panem verò, hoc eſt, ſubſtantiam panis ibi eſſe, ſi inde colligerent, prorſus mentirẽtur. Nec enim quid cum ſubſtantia fiat noſſe poſſunt. Sicut enim oculus de ſonis non iudicat: ita omnes ſenſus externi de ſubſtantia quam ſolus intellectus cõtemplatur, nil verũ, nil certum decernũt. Intellectus porrò vbi fide ẽ imbutus, & Deum cui nihil eſt impoſſibile dicentem audit: Hoc ſub ſpeciebus panis eſt corpus meum: ſenſuũ exteriorum, qui ſubſtantiam panis ibi eſſe falſò definirent, errorem redarguit: & ſupra omnes ſe erigens ſenſus, nil ibi ſubſtantiæ eſſe, ſed illam in Chriſti verũ Corpus mutatam credit, & confitetur. Diſcerne igitur ſenſus exteriores ab intellectu: & intellectum purum, ab eo qui eſt fide naturæ leges ſuperante, imbutus, ſubſtantiam denique ab accidentibus: ita nihil in elementis & ſignis panis & vini, quæ tantùm propter exter-

Senſus externi de rerũ ſubſtãtia non iudicant.

nos sensus & quibus doctrina aliqua il lustratur adhibentur, desiderabis, quo minus ex elemẽtorum proprietatibus quascunq; velis analogias & similitudi nes ad rem quæ significatur, deducas. Illud vnicè demiror, & quãtùm Hære ticæ istæ tenebræ valeant tacitus consi dero: quàm leuibus laqueis irretitus te neris, ne te in libertatẽ diuinæ fidei vin dices. Leuissim9 ratiocinationis vẽtus fidem tibi, quam Christi planissimis verbis debebas, eripuit. Propter Sa cramenti malè intellectam definitionẽ, sine qua salus tibi cõstare poterat, Chri sti viuificum corpus, salutis tuæ fontẽ in Eucharistia amisisti. O infantiam e ius, qui veritati potiùs diuini verbi, quã suæ in sacramento descriptioni, maluit esse detractum. Quid magnum esset, si rationes tuas has leuissimas, nec vllo responso dignaremur: sed eas aperto Christi omnipotentis; verbo cedere iu beremus? Quæ enim nos authoritas ad illas recipiẽdas cogit? Imò quid nõ ad illas contemnendas hortatur? Cùm bene appareat vbi de sacramentorum

Leuis ratiocinationis ven t9 fidem eripit Hæreticis.

natu-

natura & eorum causis aliquid loqui cupis, ea te afferre, quæ nullo fido certoq́; magistro didicisti: sed te ipsum consulens, ibi vel maximê erras, vbi te scire aliquid quod non didicisti existimas: Quòd verò affers D: Augustinum nũquam distinctionem accidentiũ à substantia in Eucharistia somniasse, hoc q́ verè dixeris, vel tua te oratio admoneat. Attulisti enim ex eodem illa verba: Sicut vt sit species visibilis panis, multa grana in vnum consperguntur: Et à me allata illa ex eius sententia audisti: Quod videtur (in Eucharistia) speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructũ habet spiritualem (Deniq́;) Virtute, inquit, Spiritus S: ex panis & vini substantia corpus Christi efficitur, figura est quod exterius sentitur (Et alibi) Nos autem in specie panis & vini quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem honoramus. Quid ergo clariùs ab ipso D: Augustino de hac distinctione desideras? Putás ne speciem corporalem, & exteriorem figuram non dici accidentia? Aut substantias te videre externis oculis ipse potiùs somnias? Adeò ipse non consideras, per somniũm ne an vigilãs

loquaris.

Vltimã tandem ratiocinationẽ à cursu naturæ contra Transsubstantiationem mutuatur, Volanus, & eam effreni maledicentia contumelijsq; in S. patres, sacraq; Concilia exornat. Quam ipsius verbis proponere placet.

Quid ergo frontis & cordis, inquit, aut habuere isti, aut nunc habent, qui panem ex hoc Sacramento explodunt, & contra tantam authoritatem scripturæ & veterum patrum, nescio quid Sophisticè, contra ipsũ etiam ordinem naturæ impudenter garriũt. Natura enim rerum ita fert à Domino ordinata: vt accidentia sine subiecto vi sua consistere non possint: & si auferantur substantiæ, ipsa quoq; accidentia deperire & in nihilum redigi oporteat. Id verò non solum communis naturæ lex, quam violãt isti & euersam cupiunt, vt deliria & commenta sua approbent, sed Augustinus etiam ipse testatur. Tolle inquit, ipsa corpora qualitatibus corporum, non erunt vbi sint & ideo necesse est vt non sint. Hæc ille non ex scriptura, quam apertam in illis verbis, Hoc est corpus meum, sacrilega additione, id est, figura corporis mei, deprauat: nec ex veterum Patrum authoritate, quorum tam longum contra se

ordi-

ordinem inexpugnabilem veritatem afferentem, vidit: sed primum ex coniecturis in sacramenti descriptione, nunc verò ex philosophica naturarum consideratione, contra mysteria nostra dimicat. Sacros Theologos, qui licèt philosophicis indagationibus cũ D. Basilio, Nazianzeno, Augustino & alijs qui prophanam literaturam nunquam contẽnendã putauerũt, excelluerint, semp tamẽ regulis fidei, seruã philosophiã subiecerũt, sophistas vocat: quòd Deo dicẽti, Hoc est corpus meũ, obtẽperãtes philosophiæ & naturæ leges deserant, & eas Dei verbo cedere iubeãt, supraque õnem philosophiã & naturæ cursum mysteria fidei honorent: seipsum verò Christianum dici vult, qui cum Iuliano apostata & Porphyrio alijsque Christiani nominis hostibus philosophis videtur conspirâsse, & ex communibus naturæ legibus & philosophia contra fidei nostræ arcana argumentatur, ad eiusque rationes Theologica dogmata, reducta esse cupit. Illi qui in Philosophicis rebus habiti sunt excellẽtissimi, supra

Niceph libro 10 cap: 26.

Hieron. epist: ad mag: vrb. Rom: orat.

Hæretici in Philosophicis rebus rudes ex physicis rationib9 fidē oppugnant.

philosophicas rationes Deo credūt: iste q illas disciplinas nec à limine salutasse videtur, ex philosophia fidē oppugnat O cæcitatem seipsam condemnātem. Audacia ista non ferenda illud totius perfidiæ axioma constituere, & nostris mysterijs opponere cogitat: nil esse Deo in diuina Religione nostra supra vires naturæ rationisq; cursū credēdum. Bonus Theologus tali iacto fundamēto, omnia quæ Christi prædicat Euangelium demolitur, & hoc vno ictu malitiosius ne an incautus, nescio, prosternit. Hoc vnum scio, Sathanam illa exercitata sua per Hæreticos industria, huc collimare, vt cuncta quæ supra rationē credimus, iuxta rationem examinem9: & tandem nil prorsus credere, sed scire, & sensuum sicut bruta animalia, regulis duci incipiamus. Et licèt lacrymis magis (nec enim maledicentia tecum certabo) quàm vllo responso dignum hoc tuum argumentum videatur: tamē quærere abs te volo: cùm paulò inferiùs in tuo libello fatearis, credere te vel opinari potiùs, in Christo vnam esse in

Theologia Volani.

Scopus Sathanæ per Hæreticos.

duabus

duabus naturis personam: & ipsam naturam humanam in Christo prorsus sine propria Hypostasi subsistere: quid obsecro magis naturæ terminos excedit, naturám ne singularem sine sua Hypostási, an accidentia sine subiecto permanere: vtrumque certè legibus naturæ aduersatur. Sed si quid distet natura ab Hypostasi & persona, didicisti, maius in Christi humanitate sine propria persona persistente, miraculum omnē cursum rerum cōmunium, naturæque superans deprehēditur: de quo nihil expressè & ad verbum scriptura prodidit, sed sola Ecclesiæ fides docuit. Hoc verò de quo res est, vbi accidentia sine subiecta re subsistere in S. Eucharistia credimus & minoris esse, si cum illo conferatur, admirationis videtur, & apertissimè illud Dei vox definiuit, dicens, Hoc est corpus meum. Vnde quamprimū colligimus: postquam accidentia in pane non mutantur, ipsam substantiā panis Christi corpus esse: accidētia verò diuina potentia per se subsistere. I ergo Volane, & illud primū abnega, postquam propter

Sicut in Christo est natura humana sine propria hypostasi ita in Eucha: accidentia sine subiecto.

eandem

eandem difficultatem & peruersam tuam philosophiam hoc alterum abnegasti. Ex hac vos philosophia, hoc est, sensuum vestrorum & malè sanæ rationis coniecturis, præclari Theologi, vel potiùs illorum quos sancti Patriarchas Hæreticorũ vocauerunt, philosophorum discipuli, õnia vestræ Theologiæ fundamenta constituitis. Licèt philosophica vbi ad rem ventum est, ignorare vos nõ inuiti & libẽter fateamini. Quæram & aliud abs te, Philosophe, qui Deum non posse accidentia sine subiecto sustentare existimas: Lux illa quam ante solem creauit omnipotens in quo erat subiecto dicito? At grauissimus sanctusq; testis Basilius magnus per se & sine vlla subiecta materia illam substitisse, & sic se ad solem qui nondum productus erat, sicut albedo ad corpus dealbatum, habuisse, testatum reliquit. Nescis infælix naturam Domino & authori suo subiectam esse: & ab illo leges quas ipse promulgat sicuti vult, accipere, nec illi quicq; impossibile cogitari posse. Sed fateri necesse est Christi

te diuinitatis nõ esse amicum: & hæc ad illam abnegandam & blasphemandã Antitrinitariјs Zuinglianorum filiјs, fũdamenta iacere. Nec enim hac opinione Sacramentaria, ad Christi diuinã naturam impugnandam atheismumq́ inducendum, efficatius quicq̃ Sathanæ dolus inuenire potuit.

Zuingliani funda mẽta Antitrinitariјs fabricant.

Quod verò D. Augustinus asserit: Tolle corpora qualitatibus corporum, nõ erit vbi sint, & ideò necesse est vt non sint: huic mysterio, cuius opera sunt diuina & omnem ordinem rerum excedentia, nihil prorsus detrahit. In genere enim & vsitato cursu rerum hoc ita esse dixit, nihil hoc loco de S. Eucharistia & Dei miraculis commendatis operibus cogitans. Sicut si virginem nõ posse parere dicamus, hac sentẽtia Dei genitricis fæcunditatem virgineam nõ auferimus, nec sublatam esse volumus. Alius enim est Dei operum extraordinarius & supereminens modus, quem vbi de vsitatis naturæ legibus loqmur semper exceptum esse statuimus.

Epist. 57.

Hactenus de Trãssubstãtiatione egi-

mus. Quam verbis Domini, patrum sententijs, Conciliorum decretis, stabilitam, & à tuis calumnijs ratiunculisque vindicatã, asseruimus. Supersunt tua maledicta in quæ tanta luce veritatis irritatus ruis. ad illa ego tibi meo silentio & benedictione meisque adhuc, dum in hoc viuis corpore, pro te licêt indignis precibus, responsum esse volo. Parco tuæ ignorationi quæ mihi aliqua, venia digna esse videtur: & vt Deus obstinationem Sathanæ propriam, & quæ nullam commiserationem meretur, à te amoueat, studiosè deprecor. Dicis tu quidem nolle te quicquam in me contumeliosè dicere: sed quam maiorem rogo cõtumeliam afferre mihi potuisti? Matrẽ meam Christi sponsam S S. Ecclesiam Romanam artolatriæ deditam, spiritualique adulterio & turpi cũ idolis fornicatione, quasi innocẽtẽ illã Susannã pollutã criminaris: Sãctissimos Põt. Romanos Christi in terris vicarios & parẽtes nostros, per quos nobis in has terras Christi nomen inuectum est, & quibus authoribus idola eiecimus, præcones i-
Dan: 13.
dolorum

dolorum vocans calumniaris: cætus ſanctorum Patrum, & ex toto orbe coactos Epiſcopos, temerariam, inſanam, & imperitam multitudinē appellas: religioſiſſimos totius orbis Doctores, & Euangelicæ perfectionis gemmas, turbam inutilem & orbem Chriſtianum prægrauantem conuiciaris: & tamen te mihi parcere dicis. Vtinam in me ōne maledictionum virus effudiſſes, & Eccleſiam Dei, quæ tibi non nocuit, ſed te etiam tam degenerem filium Chriſto peperit, diuino præcepto permotus, honoraſſes: æquiore ſanè id animo tuliſſem. Nunc verò quod in me hanc immaculatam ſponſam conuiciaris & ore tuo polluis, quos gemitus edam, quas effundam lacrymas in tuo tam horrendo peccato deplorando? Deus propicium ſe tibi exhibeat: & os tuum ad cōtumelias Eccleſiæ & Sacramētorum, præſertimq; huius diuiniſſimi effuſum, ad celebrandum Chriſti nomen, in vna nobiſcum Eccleſia, quæ tibi poſt tanta in ſe tua patrata facinora pænitentiæ locum relinquit, cōuertat.

LIBER SECVNDVS.

DE VERA CHRISTI, CORPOris in Sacramento Altaris præsentia.



TAMETSI PRObata Transsubstantiatione, de vera realiꝗ; præsẽtia Corporis Domini nostri Iesu Christi in Eucharistia, tuo etiam iudicio, Andrea Volane, nullus sit dubitandi relictus locus: quòd tamen quasdam D. Augustini sententias in quibus mutationis quidem substantiæ in elementis Eucharistiæ non meminit, ipsum vero re existens in ea Christi Corpus confitetur, prauè contorquere tuo libello tentasti: illas etiam referre, & à tuis cauillationibus vindicare oportet. Præsertim quòd in ijs quæ sequuntur, complura alia sacramẽtariorum sophismata soluantur: ipsaꝗ; existentia solidissimis argumentis sententijsꝗ; non D. Augustini tantùm, sed aliorũ

Argumẽtũ libri sequẽtis.

aliorum etiã orthodoxorũ patrum cõfirmetur illustretur'q;. Deinde de Adoratione & Reseruatione quæ tuis est scommatibus appetita: Vltimò de modo existendi Corporis Domini in sacramento, de quo fusè & sat contumeliosè loquutus es, aliqd breuiter strictim'q; dicemus.

In primis itaq; D. Augustinum ex corporali Christi corporis manducatione realem ipsius in Eucharistia præsẽtiam probantem audiamus. Mediatorẽ (inquit) Dei & hominum Christum Iesum carnem suam nobis ad manducandum & sanguinem ad bibendum dantem fideli corde & ore percipimus: quamuis horribilius videatur humanam carnem mãducare quã perimere, & humanum sanguinem potare quàm fundere. In his verbis duo maxima realis Christi corporis manducationis argumenta elucent: alterum, quòd in manducatione horrorem excuset: alterum quòd ore etiam non solum corde Christi nos edere corpus doceat. Quomodo enim figuratus humanæ carnis esus horrorem afferet, dum panis quidem ore manducaretur, ipsa vero hu-

CAP. I In quo ex corporali manducatione realis præsentia iuxta D. Augusti. probatur

Contra adue. leg. & prop: libr. 2 ca 9

Figurata humana caro nullum horrorem sensibus affert:

rò humana caro mente tantùm & cogitatione conciperetur? Frustra ergo & præter omnem rem D. Augustinus dixisset: Quamuis horribilius sit humanā carnem manducare quàm perimere: si nō ipsa humana Christi caro manducaretur. Quòd verò non corde tantū sed ore etiam Christi corpus manducari docet, ad eiusdem rei certissimum argumentum pertinet. Corpus enim per fidem & imaginationem non mãducat, nec vmbris & figuris vesci potest. Tu verò, Volane, figuras adhuc vrges absq; quibus nil apud te verum esse, vt nihil veri habeas, statuis. quia os nostrū lingua, & palatū gustatusq; ipse, Christi corpus apertè, & ipsorum sensuum exteriorum iudicio, non percipit, ideò figuratā esse locutionem somnias, cùm dicitur corpus Christi ore sumi, quasi signa tantùm corporis sumerētur. Sed nescis propter illam substantiæ panis mutationem, de qua libro priore egimus, tantam esse Christi corporis in Eucharistia cum speciebus coniunctionē, vt quod in speciebus fit, in ipso Christi corpore

Quæ in speciebus fiūt Christi corpori sub eis contento merito tribuuntur.

corpore quod sub illis cõtinetur meritò fieri dicatur. Si enim Hæmorroissa vestem Christi tangens Christum ipsũ tetigit: quantò magis Christi corpus tetigisse dicendus est, q̃ species panis sub quibus illud est attrectauit: vt meritò Dominus quærat, quis me, nõ quis meam vestẽ: & in S. Eucharistia, quis meum corpus, non quis species panis tangat. Maior enim est specierũ quæ suo subiecto destitutæ à diuina virtute sustẽtantur, nec aliter existerent, quàm cum veste quæ ex se consistit Christi corporis coniunctio. An non in familiaribus exemplis perspicis, si quis arcã in qua sit aurum sustulerit, quòd non figuratè sed propriè sustulisse aurum diceretur? Et is qui amarum aliquod pharmacum dulci aliqua offa opertum sumpsit, nõ ideò ore illud non sumpsisse quòd eius amaritudinem non degustauerit, dicendus est. pari ratione cùm species panis quibus est Dominicum corpus contectum ore sumuntur, ipsum etiam Christi corpus, licèt eius proprietates sensus corporei non degustent, ipso ore

Luc. 8.

Hæmorroissa Christi vestem tangens Chrũm tetigit.

Maior specierũ panis cũ Chrĩ corpore quã cũ veste cõiũctio:

Arcam in qua est aurũ auferẽs propriè non figuratè aurum sustulit.

Medicinã contectã dulci cibo verè sumitur licèt eius amaritudo sensibus nõ degustatur

verè manducari & à D. Augustino & ab alijs orthodoxis traditur. Cæterum frustra iã hîc obsistit aduersarius, postquã in primo illo Trãssubstantiationis certamine succubuit: paratam hîc nobis victoriam præbet. mutato enim pane in Christi corpus, iam in altari, & in sacerdotis manibus, & in ore nõ panis sed ipsamet Domini caro sub accidentium velamine, videtur, degustatur, palpatur, & populis distribuitur. Vnde præclarè D. Chrysostomus. Non vestis solum (inquit) sed corpus Christi nobis propositum est: non vt tangamus solũmodò, sed vt comedamus & saturemur. (Et alibi) Dum in hac vita sumus, facit vt terra nobis cœlum sit hoc mysterium. In cœlis Regium corpus, quod nunc tibi in terra videndum proponitur. Non Angelos, non Archangelos, non cœlos cœlorum, sed ipsum horum omnium Dominum ostendo. Animaduertis quod omnium maximũ est atque præcipuum, in terra non conspicaris solum sed tangis, neque solum tangis, sed comedis, & eo accepto domum redis. Et D. Cyrillus Alexãdrinus de S. Thoma Apostolo Christi corpus cõtrectante, Vna (inquit) Sabbatorũ cœteris apparuit, id est, die Dominico. Die postea deinceps octauo

Homil. 51 in Matt:

Hom: 24 1 cor:

Corpus Christi tangitur.

In Ioan. lib. 12 ca: 58.

vtrisque

vtrisq; cõnumeratis extremis cõgregati rursus Discipuli Thoma præsente, simili modo Dominum vident. Iure igitur sanctæ cõgregationes die octauo fiunt et foribus sublimiore modo clausis, visibiliter simul atq; inuisibiliter Christus omnibus apparet. Inuisibiliter quidem vt Deus, visibiliter autẽ in corpore: præbet enim nobis carnem suã tangendam: vt firmiter credamus, quia templũ suum verè suscitauit (Et paulò pòst) Fugiamus igitur infidelitatem post tactum Christi, & firmi atq; stabiles ab omni longè ambiguitate inueniamur. Videre nos & contrectare etiam omnibus Dominicis diebus, in diuino S. Eucharistiæ mysterio ipsum Christi corpus in testimonium resurrecttionis cum ipso Thoma, prædicat. Itaque sicut verè Corpus Dominicum Thomas tangens, veram ipsius resurrectionem probauit: ita & nos verè eandem in sacramento attrectantes, viuere Dominum nostrum & regnare prædicamus. Quod si figuratè & non verè corpus eius in Eucharistia tangimus, figuratam quoq; & non veram eius resuscitationem, iuxta D. Cyrillum mentiendum erit. Duo autem te vel maximè ab hac corporali qriscq; ipsius

Christũ in sacramento in argumentum veræ eius resurrectionis tãgimus cũ s. Thoma.

ſius carnis Chriſti mãducatione deterrere videtur: vnum, ne Capharnaita videaris: alterum, ne Chriſtus aliquid ſua maieſtate indignum pati exiſtimetur, ſi corpus illius frãgi & comedi doceatur. Sed vanus eſt iſte metus. Nos enim cũ omnibus Orthodoxis, ipſoq́ꝫ vti audis D. Auguſtino, carnem Domini ore etiã ſumi prædicantes, nec Capharnaitæ ſumus, nec Caluiniſtæ: extrema declinamus, medium rectumq́ꝫ iter tenemus. Nam nec per facinus & lacerationem occiſionemq́ꝫ Chriſti, ſicut fingebant Capharnaitæ, nec phantaſticè, figuratè & imaginariè, ſicut delirant Caluiniſtæ, Domini noſtri veſci nos carne prædicamus. Illi ſine myſterio inhumanitatem fugientes, Chriſti verba contemnũt: iſti ſine veritate indignitatem timentes, ſolas vmbras in myſterio quærunt. Illi crudelitatem, iſti impotentiam Chriſto tribuunt. Illi ſenſum verborum Chriſti non capiebant: iſti veritatem corrumpunt. Ad Capharnaitas aberrantes & ſcandalum paſſos ſanandos, ſaluator ſenſum Caluiniſticum non ſubiecit, vt

Capharnaitæ & Zuigliani extrema errorũ tenent Catholici mediũ veritatis habent.

Capharnaitis errantibus Chrũs ſẽſum Caluinisticũ nõ ſubiecit.

diceret: parabolicè & figuratè loquor cùm meam vobis carnem ad manducã dum præbiturum me polliceor, ad illamq́ edendam præceptum interpono Nec enim hanc veram carnem meam sed illius tantũ in pane figuram ad comedendum exhibebo. Sed potiùs illa ad eorum perstringendam incredulitatem adiunxit. Hoc vos scandalizat quòd mea vos carne vesci oportere, vt viuatis, docuerim: Si ergo videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius. Ioan: 6.
tum longè difficilior res ad credẽdum apparebit: vt & in cœlis hoc corpus resideat, & vobis nihilominus in cibum præbeatur in terris. Spiritũ itaq; hoc est iuxta D. Athanasium, diuinitatis potentiam non carnem tantùm nudam, oculorum q̃dẽ iudicio exiguam, diuinitatis verò participatione admirabilẽ & deificatam, spectare iubemur. Quæ si simplicis hominis & non Dei, ipsaq́ diuinitate destituta esset, non prodesset, nec ad nos pascendos sufficeret, nec emortuas animas nostras corporaq́ viuificaret, propriumq́ damnum & mortis cõ

Spũs pro diuinitate rectè accipitur in illis verbis caro nõ prodest q̃cq́ spũs ẽ q viuificat.

 sum-

sumptionisq́; periculum, nō effugeret, nec simul in cœlo & in altari licèt modo diuerso, exhiberetur. Catholicæ ergo veritatis medio tramite progredimur sub mysterio quidē & velamine abscondito, sed vero & reali Christi D. nostri pasci nos corpore gloriamur. Nec facinus committimus quod timebant Capharnaitæ, nec beneficium excludimus quod faciunt Zuingliani. indignitatem non suspicamur, ne dicentis veritatem amittamus. difficultatem omnem in tam admirabili opere amputamus, ne impotentiam Christo exprobremus.

CAP. 2. In quo secunda sententia D. Augu: ponitur.

Audi hac de re ipsummet D. Augustinum, vt simul & alium eius pro hac præsētia corporis Domini in Sacramēto locū producamus. Inuitat (inquit) Dominus seruos & præparat illis se ipsum: Quis igitur audeat manducare Dominum suum? & tamen ait: qui manducat me viuit propter me. Cōsidera quo modo & hoc etiam loco sicuti & in priore, corporalem & re ipsa extantem vrget mãducationem. Quis, inquit, audeat manducare

Ex serm: de verbis Euange. citatur a V. Beda 1 Cor: 10 & dist. 2 de conse;

ducare Dominum suum: quasi aliquid indignum & horrendum videatur. Ad quam indignitatem horroremque fugiendum, non figuratam in qua nulla est indignitas, nullus horror, manducationem, id quod vult Volanus, in excusationem adhibet: sed rem eandem licèt magnæ audaciæ videatur vrget, & verum reque ipsa extantem corporis Christi esum cõmendat, cùm inquit: Et tamẽ hoc ait Saluator, qui manducat me viuet propter me. verũ ergo esse, licèt sit audaciæ plenũ, oportet: vt & necessitati ad vitam consequendam, & Dominico præcepto pareamus. Prudentissimè tamen ab extremis illis Capharnaitarum & Caluinistarum erroribus Catholicam sententiam vindicat, cùm infert. Manducatur nec occiditur: vt manducetur, sed mortuos viuificat. Quando manducatur, reficit non deficit. Non ergo timeamus manducare istum panem, ne forte finiamus illum & postea quid manducemus non inueniamus. Manducatur Christus viuit manducatus, quia surrexit occisus. Nec quando manducamus partes de illo facimus: & quidem in sacrãmento sic fit, & norunt fideles quemadmodum manducant

Audacia est manducare Dominũ & tamen iubemur manducare illum.

 Christi

Christi carnem. vnusquisq; accipit partem suam Per partes manducatur & manet integer totus per partes manducatur in Sacramento & manet integer in cœlo. Hæc D. Augustinus. Capharnaitæ dicunt, occidendús ne est Christus vt corpus eius manducetur? D. Augustinus, cum Catholicis respondet: Manducatur nec occiditur. Zuingliani dicunt. Si re ipsa manducaretur, iam pridem deuoraretur. respondet D. Augustinus. Ne timeamus manducare istum panem, ne forte finiamus illum, & postea quid manducemus, non inueniamus. Caluinistæ iterũ clamant. Per partes ergo manducatur, alter manus, alter pedes vorat? respondet vir sanctus. Nec quando manducatur partes de illo facimus. Et licèt in sacramẽto in speciebus partes sint, sub qualibet tamen speciei parte, est integer. Per partes (inquit) manducatur, & manet integer totus. Vrgent adhuc Caluinistæ. In cœlo est, manducari in Eucharistia re ipsa non potest. Respondet D. Augustinꝰ: Manducatur per partes in Sacramento. & manet integer in cœlo. vide quot collegit in hac manducatione miracula. Mã-

A Caphar: & Zuiglianis Catholicam sententiã discernit D: Augu.

ducatur

ducatur, & non deficit: sub qualibet sacramenti specierum parte, est totus: mãducatur per partes in sacramento, & manet iteger in cœlo. Infiniti stuporis & omnipotentiæ diuinæ hæc sunt opera: in quibus digna nostra sublimi fide, quam Deo dicenti adhibemus, exercitia sunt reposita. Si itaq; non esse reale Christi corpus in sacramento D. Augustinus arbitraretur, quorsum hæc miracula, & res prodigiorum stuporis ecstasisq; plenas induceret? Longè faciliorem ad illa quæ secũdum philosophiã peruersamq; rationem apposuistis reperisset solutionem: si dixisset figuratè Christi corpus in Eucharistia manducari, potuissetq; illo à nobis iam posito exemplo vti: sicut vnus & idem Rex in vna prouincia pictus est, in alia viuus: ita Christi corpus, reale quidem et viuũ est in cœlo, figuratum verò in sacramẽto. Eodem modo, quod dixistis, si re ipsa manducaretur, iam pridem finiretur, respondisset, figuratam manducationem nullam rei diminutionem efficere. At hoc non dicit, sed magna fide

Tot miracula in mãducatione chrĩ Corporis D. Au: agnoscit.

D. Augu: nõ ad figuratam solutionem sed ad omnipotentiã & miracula confugit.

illa miracula agnoſcit, ad ſummam admirationem omnes prouocat: vt verè manducari nec tamen minui, & à ſingulis totum ſumi, & eundem in ſacramẽto, quem & in cœlo eſſe credamus. Cum deniq; dicit vitam manducari & viuificare mortuos, hoc figuris ſine ſtultitia tribui non poteſt. Si in ſacramẽto figurata eſt manducatio, & vitã figuratam neceſſe eſt ſequi, & effectum adæquari cauſæ. Nã quòd videaris Chriſti indignitate permoueri, ne verum eius corpus in Euchariſtia credas, quòd illud in ſtomachum mitti & deuorari crudeli & turpi modo quodam, vt tu dicis, exiſtimari oporteret: doli ſunt iſti Sathanæ quibus fidem tibi ideo eripere conatur, quòd ratione tua, quó nam modo id ſine Chriſti indignitate fiat, nõ cõprehendas. Noli imitari gẽtiles illos Chriſti hoſtes, q̃s à ſuſcipienda Chriſti fide cogitatio illa deterrebat, quòd indignũ videretur, in vtero virginis Deũ deliteſcere, & natum, tot affici calamitatibus, ipſaq; turpiſſima morte & ignominiæ plena. Idem te metus à credendo

Indignitate Christi falſo permonẽtur Zuingliani ne corporalem manducationẽ agnoſcant.

Quod gẽtiles a fide hoc idẽ Zuinglianos a veritate ſacramẽti deterret

do abducit, ne quid Christo indignum euenire concedas. Sed vellem te magis obediendo fidelem, quàm in perscrutãdo, & dignitate Christi tuenda contra obedientiæ leges, officiosum. Malè D. Petro cecidit, quòd ex summa in Magistrum obseruantia fecit, Dominum ne pedes eius lauaret prohibens. Comminatione tamẽ perterritus resipuit, sibiq; ablui pedes à cœlorum Domino passus est. Melior est in domando intellectu subigendaq; ratione obedientia, vt Deo difficilia & quæ tibi duriora & minus digna videantur dicenti, credas, q̃ victimæ, vt Deũ inflatus sensu carnis tuæ, honores. Sũm9 enim honor Deo defertur, cũ omnipotentia eius, veritasq; celebratur. Deum itaq; dicentem, Manducate, Hoc est corpus meum, credendo & edendo honora: & quid de corpore eius fiat, quomodo in tam parua specierum forma contineatur, quomodo manducetur, & cum tuo etiam corpore cõiungatur, scrutari noli. Admoneant te B: Cyrilli verba, in illud Iudaicum, quomodo potest nobis car-

S. Petro honor sine obedientia erga dominum malè cessit.

Deus magis per obedientiã quã per importunam reuerentiã honoratur.

Reuerentia maiestatis, obedientiæ legibus moderanda est.

In Ioan. libr. 4.

nem suam dare: Nunquam in tam sublimibus (inquit) rebus illud quomodo, aut cogitemus aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum est, & extremi supplicij causa. Ideo Nicodemus etiam cum diceret, quomodo hæc fieri possunt, meritò audiuit: Tu es Magister in Israel & hæc ignoras. Aliorum igitur, vt diximus, culpa perdocti, cum Deus operetur, non quæramus quomodo, sed operis sui viam atq; conscientiam illi soli concedamus. Quãuis stultum prorsus videatur, existimare Christi corpus inuisibile, & nulli obnoxium passioni, gloriaq; resurrectionis illustre, aliqua ignominia, vel loci, vel iniuriæ alicuius affici posse. Voluntas quidem illud humana polluit & contaminat, cùm in sacramento inhonesto aliquo modo illud tractat vel sumit, sed ipsum in se nullo scelere læditur. sicut, qui in cœlum, vt Deum configat, tormentum explodit: impiam quidem suam voluntatem omniq; vltione dignam demonstrauit, Deo verò ipsi, nil intulit damni: ita, qui indignè corpus Christi sumunt, vel inhonesto aliquo modo sacramentũ Eucharistiæ tractant, suum quidẽ in Christum contemptum declarant: Christi

Verbũ illud quomodo, in Dei operibus Iudaicũ & perfidiæ plenum.

Chrĩ corpus gloriosũ nulla põt affici iniuria.

Volũtas sola peruersorum Chrĩ corpus inhonorat.

vero

verò corpori, quod nil vnquã pati potest, nil ignominiæ, nec iacturæ afferũt. Quære Volane, cur Deus in vtero virginis delituit, cur conspui, & cœdi colaphis, & crucifigi voluit, cur Deũ passum & mortuum dicimus: & quia hoc est Deo indignum, non crede, vt totũ, quod adhuc opinari de Christo videris abneges. Si verò amorem Christi erga nos causam esse, quòd tàm indigna propter nostram redemptionem passus sit afferes: idem & hìc facere disce. Amor eum infinitus erga nos coegit, vt nos vero suo corpore pasceret: & ipsas matres, quæ proprio sanguine alunt infantulos, imitaretur superaretq́. vt maiorem mihi in eo erga nos charitatẽ declarâsse videatur, quàm cùm tanta in cruce pro nobis sustinuit. In quo infinito beneficio, & potẽtiæ suæ sapiẽtiæq́ summa recondidit argumenta: & nostram probare exercereq́ fidem voluit, vtrũ nam verè verbis eius credamus, dilectioneq́ ad eũ fruendum feramur. Afferam & alios superioris seculi probatissimos testes: qui corporalem & realem

Videtur Deo indignũ in vtero delitescere & cõspui, tamẽ verũ ẽ

Amor erga nos Chrĩ illa quæ in fidelibus indigna videntur expressit.

Plus videtur amasse nos Christus in sacramẽto quã in cruce:

realem mãducationem Corporis Christi ita vrgẽt, vt inde quasi ex certissimo fundamento, multa contra hæreticos, probent. Nam & Christi cum patre naturalem coniunctionem contra Arrianos, & veritatem carnis Christi contra Manichęos, & immortalitatem carnis nostræ, contra alios hæreticos statuũt. Quæ omnia ruere illis vidẽtur, nisi corporalis naturalisq́; manducatio carnis Christi agnoscatur, vt pro ea, quasi aris & focis decertent. Et quidem hæc eò libentiùs affero, vt cuiuis perspicuum appareat, eodẽ spiritu locutos sanctos Dei: eandẽq́; per totum mundum tubas illas spiritus S. edidisse vocem, cõmunemq́; tradidisse fidẽ, & nihil à se, p tot terrarum spacia tẽporumq́; interualla seiunctos, alienum & non cohærẽs insonuisse, ne vel D. Augustinus illis, vel illi D. Augustino Hæretici, & alium prædicare Christum videri possint.

S. Doctores corporalem mãducationem ad alia probãda pro fũdamento assumũt.

CAP. 3. ex D. Hila 8. de Trinitate. vixit circa an: 371.

Itaq; inprimis D. Hilariũ cum triũpho de Hæreticis reportato, ab exilio redeuntem, et ita docentem audiamus. Eos nunc, qui inter patrem & filium volũtatis

tatis ingerunt vnitatem, interrogo. Vtrum ne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam veritatis? Si enim verè verbum caro factum est, & nos verè verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter in nobis manere existimandus est, qui & naturã carnis nostræ iam inseparabiliter sibi homo natus assumpsit, & naturam carnis suæ, ad naturam æternitatis sub sacramento nobis cõmunicandæ carnis suæ admiscuit? Ita enim omnes vnum sumus, quia & in Christo pater, & Christus in nobis est. Vides inprimis quàm aduersum contra tuas figuras gerat animum: qui ita nos verè corpus Christi sumere affirmat, sicut verè verbum caro factum est. Si ibi est figura, & hic sit: vt idem tibi labor appareat, & ibi figuratam incarnationem verbi, & hîc figuratam manducationẽ carnis statuere. Cogita quantùm tuas exceretur figuras, qui tali est comparatiõe vsus, & veritatem corporis tanti faciat in sacramento, quanti incarnationẽ in virginis vtero. Deniq; coniunctionem naturalẽ, & realem Christi cum patre probaturus, per hanc, tanquam magis notam, nostram cum Christo in Eucha

Sicut verè caro verbum factum ẽ & non figuratè ita verè verbũ carnẽ i cibo Dominico sumimus.

Tanti facit Hilarius veritatẽ carnis ĩ sacramento quanti incarnationẽ in virginis vtero.

Arriani reale & corporalem manducationem Chrî corporis nõ negabãt.

ristia coniunctionem Arrianos conuincit. Si nobiscum Christus coniungitur fide tantũ & voluntate seu charitate, & non reali veritate: & cum patre itidẽ voluntate tantummodò, nõ natura nec substantia coniunctus erit. At, quia primum illud falsum est: naturaliter enim inquit, in nobis Christus est, qui veram nobis carnem suam in sacramẽto communicat, req; ipsa, non per voluntatem tantũ, ipsi iungimur, cùm reale ipsius corpus manducamus: quare & illud quod inde sequebaẽ ruat necesse ẽ. Vide, quãtũ referre putat ad tuẽdã Christi diuinitatẽ, realẽ Christi corporis in sacramẽto præsentiã. Ita enim Arriani à Catholicis pro eadẽ Christi cũ patre natura, locũ illum adductũ, Ego & Pater vnum sumus, cauillabantur, aientes est cum Patre vnum, sicut & nobiscum ẽ Christus vnũ. Dicit enim Sicut tu pater in me et ego in te, vt & ipsi in nobis vnũ sint. At nos cum Christo, inquiunt, vnum sumus, fide tantùm charitate & voluntate, & non natura: ergo & ipse cũ patre, non natura, sed voluntate est vnũ. Huic cauillo Arrianorum resistens Hi-

Ioan. 10.

larius opponit. Nos cum Christo, non fide tantũ & voluntate, sed & natura reꝗ ipsa vnum esse: eò, quòd naturale & verum corpus illius in sacramento manducemus, & reipsa illi iungamur: ideo infert. Hæc idcirco (inquiẽs) à nobis commemorata sunt, quia voluntatis tãtum inter Patrem & Filium vnitatem Hæretici mentientes, vnitatis nostræ ad Deum vtebantur exemplo. tanquam nobis ad filiũ & per filium ad patrem obsequio tantũ & voluntate religionis vnitis, nulla per sacramentum carnis & sanguinis naturalis communionis proprietates indulgeretur: cũ & per honorem nobis datum Dei filium & permanentem in nobis carnaliter filium, & in eo nobis corporaliter & inseparabiliter vnitis, mysterium veræ & naturalis vnitatis sit prædicandum. Carnaliter, corporaliter, naturaliꝗ communione & proprietate Christo nos per carnis suæ in Eucharistia manducationem coniungi profitetur: & inde ceu à certioribus & ab ipsis impijs Arrianis concessis, ad ea quæ illis incertiora videbantur, ad naturalem scilicet & veram Filij cum patre coniunctionem probandam progreditur. I ergo Caluinista & carnaliter corporaliter

Non charitate tantum sed & natura ipsa per carnis eius manducationem Christo coniũgimur.

Carnaliter in nobis Christus manet per corporis sui manducationem.

Arrianis certior videbatur corporalis Christi corporis manducatio ꝗ̃ Christi cum patre naturalis coniunctio.

 terꝗ

terq́ ac naturaliter (vt verbis huius sancti vtar) licèt modo inuisibili & in mysterio abstruso, Christi nos manducare corpus pernega, vt Arrianis ipsis appareas impudentior virulentiorq́. Quibus adeò hoc exploratum fuit, vt licet Christi diuinitatẽ impugnare ausi sint, realem tamen & corporalem corporis Christi manducationem, propter illa aperta verba, Hoc est corpus meum, negare non auderent: & ex hac tanq́, notiore confessione, ad illam quasi minus notam deducebantur. Figuratam si placet mãducationẽ, Corporis Christi confingito, vt & filij cum patre figuratam coniunctionem mẽtiare. Citius diuinitatem Christi, quàm realem corporis eius in Eucharistia præsentiam destruxeris. Adeò hæc secũ connectũtur, vt eodẽ etiam loco idem sanctus dicat. Ipse ait, Caro mea verè est esca, & sanguis meus verè est potus: qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo. De veritate carnis & sanguinis nõ relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est, & hæc accepta atq; hausta, id efficiũt, vt & nos in

Zuingliani Arianis sunt impudentiores.

Christo

Christo & Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Cõtingat planè his verum nõ esse, q Christũ Iesũ verũ esse Deũ negant. Itaq; de veritate Christi corporis in Eucharistia, qui dubitat, verum esse Deũ Christum tali posito fundamẽto negat. Quod satis in vobis probatũ est Zuingliani. Maior enim pars cœtus vestri ad eos, qui Christi diuinitatẽ blasphemant defecit. sublata veritate carnis in Eucharistia, quod erat vnicum omnipotentiæ Christi & diuinitatis propugnaculum, Deũ illum esse vnũ cũ patre, abnegarũt.

Illis in sacramẽto verum & reale chrĩ corp9 nõ ẽ, q Christum Deum verũ esse negãt.

Veritas corporis Chrĩ in Eucharistia propugnaculũ ẽ diuinitatis Chrĩ.

Afferã eadem omninò, alio seculo docentem Cyrillum: vt videas quàm consona voce & corde Hilario occidentis iste orientis Doctor suffragetur, & de hac propria & naturali nostra cũ Christo, per mãducationem suæ carnis, cõiunctione, magnificè sentiat. Non negamus (inquit) recta nos fide charitateq; syncera Christo spiritualiter coniungi: sed nullam nobis coniunctionis rationem secundũ carnem cum illo esse, id profectò pernegamus idq; à diuinis scripturis omninò alienũ dicimus. Quis enim dubitauit, Christũ etiã sic vitem esse, nos verò palmites, qui vitam inde nobis acquirimus. Audi Paulum dicen-

Cyrill: Alexãd: In Ioan: libr 10. cap. 13

Secũdũ carnem ẽ etiam nostra cum Chrõ cõiunctio.

tem: Quia omnes vnum corpus sumus in Christo, quia etsi multi sumus, vnum tamē in eo sumus. omnes enim vno pane participamus. An fortassis putāt ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? quæ cum in nobis fiat, nonne corporaliter quoq; facit communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare? Cur enim membra fidelium, Christi membra sunt? Nescitis, inquit, quia membra vestra, mēbra sunt Christi. Membra igitur Christi, meretricis faciam membra? absit. Saluator etiam, qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meū in me manet, & ego in eo. Vnde considerandum est, nō habitudine solum, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse verum etiā & participatione naturali. Nam quemadmodum si quis igne liquefactā cerā alij ceræ similiter liquefactæ, ita miscuerit, vt vnum quid ex vtrisq; factum videatur: sic communicatione corporis Christi & sā guinis, in nobis est, & nos in ipso. Non poterat enim aliter corruptibilis hæc natura corporis, ad incorruptibilitatem & vitam traduci, nisi naturalis vitæ corpus ei iungeretur. Non credis mihi hæc dicenti? Christo te obsecro, fidem præbe. Amen, amē dico vobis, inquit. Nisi manducaueritis. Eodem prorsus spiritu vnáque cū B. Hilario totius Ecclesiæ confessione ex naturali veraq; & reali corporis Christi manducatione, ab ipsis etiam impijssimis Arrianis

Corporaliter in sacramento carni Christi cūmonicamus.

Non per charitatē tantum sed per naturalem participationem Chrūs in nobis est

Sicut cera ceræ ita caro chrī nostræ carnicō.ū gitur.

rianis concessa, non modò naturalē Patris & Filij esse cōiunctionem, sed & nostrorum corporum incorruptionē probat. Non sufficit Cyrillo spiritualis illa nostra per fidem, vti dicit Volanus, solam, sed nec per Charitatem cum Christo coniunctio, nisi etiam corporaliter cum ipso per esum diuini sui corporis coniungamur. vtramq; vrget, vtranq; agnoscit: & illam quidem spiritualem sine Eucharistia, hanc verò corporalē in ipsa prædicat: vt corporaliter etiam non solùm spiritualiter Christus iuxta Apostolum qui nos membra & os illius vocat, in nobis inhabitet. At reclamant Caluinistæ multasq; vt hanc corporalem manducationem execrentur blasphemias & scōmata cōgerūt. Quo nihil aliud quàm quôd Arrianis sint peiores, vnoq; tātū & ipso minimo gradu à blasphemāda Christi Domini diuinitate dissideant, declarant. Quid ergo hîc facies Volane cum Hilario & Cyrillo sāctis Dei, celeberrimisq; fidei orthodoxæ defensoribus: q corporaliter Christi nos manducare corpus, & ita il

Corpora nostra ideo incor ruptibilia sunt qa corpore Chri alūtur.

li ~~funt~~ sicut liquefacta cera alteri ceræ adhæret corporibus etiam nostris coniungi? An Petrum Pseudomartyrem imitaberis, ex eiusq; longissimis commentarijs ad calumniandas tam apertas sententias aliquid desumes? Is omnes intenderat neruos vt duo hæc Ecclesiasticæ confessionis lumina D. Hilarium & D. Cyrillum interpretaretur, & hanc eis naturalem, corporalem, realemq; Corporis Christi manducationẽ eriperet, ad suamq; figuratam, eorum sensus traduceret. sed post longa commentaria tantùm profecit, quantùm is, qui solis lucem extinguere cupit. Adeò vt ex suis etiam nemo sequi eius cauillationes tam apertas ausus sit, in quibus cum magno stoliditatis suæ argumento desudauit. Callidior Caluinus, vbi res de his duobus incidit, aliquot verbis totũ negotiũ absoluit, hyperbolicè illos loqui, nec quicquam ãpliùs dixit. Hunc tibi, Volane, censeo imitandũ.

Petrus Pseudo martyr nõ potuit D: Hila: & Cyril. sensu ad suas figuras traducere.

Adiungam his eadem omninò docentem Gregorium Nyssenum. Quód nam hoc est (inquit) medicamentũ?

Greg. Nysse. serm. Catache. de diuin: sacra.

nullũ

Nullum aliud nisi corpus illud quod morte præstantius declaratum est, & nostræ est salutis causa. Quemadmodum parum fermenti, vt inquit Apostolus, totam massã sibi similem reddit: sic & corpus illud quod à Deo factum est immortale in nostrũ corpus ingrediens, totum in se transfert atq; cõmutat. Nam vt pestiferum cum salubri cõmixtum illud efficit perniciosum: sic & corpus immortale, reddit totum illud in quo susceptum est naturæ simile immortali. In corpus autem ingredi non potest, nisi per cibum & potum visceribus immisceatur Itaq; necessarium est, vt natura nostra quoad eius fieri potest, vim salutarem intra corpus admittat. Cum autem nullum aliud nisi diuinum illud corpus eam gratiam susceperit, demonstratumq; sit fieri non posse, vt nostra corpora consequantur immortalitatem nisi cum immortali corpore coniũgantur, atq; ita incorruptionem acquirant: considerandum est, quomodo fieri queat, vt cum vnum illud corpus assiduè per totũ terrarum orbem tot fidelium millibus impertiatur, totum cuiusq; per partem euadat & in seipso totum permaneat (Et infrà) Idcirco naturæ mortali seipsum coniunxit, vt eam coniunctione sua diuinam redderet: idcirco cunctis credentibus, gratiæ dispensatione seipsum impertit, per carnem quæ ex vino & pane constituitur, fideliumq; corporibus coniungitur: vt ea coniunctione cum immortali, homo etiam immortalitatis particeps fiat. Hæc autem tribuit virtu-

Corpus chrĩ ĩ corpus nostrum ingreditur.

In corp9 ĩgredi nõ põt Chrĩ corp9 nisi per cibũ

Immortalia corpora nostra esse nequeunt nisi corpori Christi coniugantur.

te benedictionis in illud rerum quæ viden-tur naturā mutans. Videtúr ne tibi Volane, tam celebratus & antiquissimus veritatis præco resistere, & tuis se commentis opponere, qui corpora nostra prorsus corpus Christi in sacramento non manducare doces, hocq; tāq; prophanum & indignum execraris? videris certè ad illam impietatem qua reale corpus Dominicum ex Eucharistia tollis, alteram etiam quæ corpora nostra à salute & immortalitate incorruptioneq; esse aliena confingit, adiunxisse. Ideo obiurgantem te antiquissimum Irenęum audias, vt & iste huius corporalis manducationis ad alios testis accedat. Quomodo (inquit) negant carnem capacem esse donationis Dei quæ est vita æterna: quæ & sanguine & corpore Christi nutritur, & membrum eius fit: quemadmodum Apostolus ait in ea quæ est ad Ephesios epistola: Quoniam membra sumus corporis eius de carne eius & de ossibus eius: non de spirituali aliquo & inuisibili homine dicens hæc (spiritus enim neq; carnem neq; ossa habet) sed de ea dispositione quæ est secundum hominem: quæ ex carnibus & neruis consistit: quæ de calice qui est sanguis eius nutritur, & de pane qui est corpus e-

Corpora nostra ideo membra sunt Chrī qa carne Chrī vescuntur.

ius augetur: Non solùm corpus nostrū vt vitæ æternæ habeat communionem Christi vesci corpore asseuerat: sed & tuæ interpretationi ponit obicem cùm Apostolum, vbi nos esse Christi carnē & os ex ossibus eius docet, non de spirituali homine, qui ossibus & carne caret, loqui, sed de carnali nostra cū Christo coniunctione, confirmat. quæ cùm fiat per corporis Christi in sacramento manducationem, efficitur, corpora nostra, quæ spiritualiter pasci non possunt non spirituale nec figuratum, sed reale Christi corpꝰ edere. D. itidem Chrysostomus illa testata reliquit. Vnum (inqt) corpus sumus & membra ex carne & ossibus eius, sequamur initiati quæ dicuntur. Vt ergo non tantum per charitatem hoc simus, verum & ipsa re in illam misceamur carnem, hoc per escam efficitur quam largitus est nobis, volens ostendere desiderium quod erga nos habet. Cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur. Hoc etiam amantium maximè est. Hoc Iob significabat de seruis à quibus maximè amabatur, quis daret nobis vt eius carnibꝰ impleremur? Quod Christꝰ fecit vt maiori

nos charitate astringeret. Idem superiùs docentem Tertullianũ Leonẽ magnũ & alios audisti. Hactenus argumẽtũ illud realis præsentiæ ex corporali mãducatione Christi corporis in Eucharistia prosequuti sumus. Quod eni vos tãq indignum sat imprudenter exhorretis, cùm corpora etiam nostra non animas solùm Christi viuificante vesci corpore profitemur, hoc ita à S. illis & antiquissimis patribus Ireneo, Hilario Cyrillo, Tertulliano, Augustino, Chrysostomo, Nysseno, Leone magno, & aliis approbatur, docetur, adeoq clarè defenditur, vt nullæ tenebræ, non tam argumentationum vestrarum quàm scommatum, quibus occulta fidei nostræ mysteria, veri gentilium & infideli um imitatores, irridetis, tantum obscurare lumen possint. Tu ergo Volane cùm hanc corporalem manducationẽ impugnas, & corpus nostrum signa tãtùm in S: Eucharistia sumere dicis, quo nam pudore orthodoxam te sequi tantorum patrum sententiam affirmare audeas, non possum satis admirari

nec verbis tantam temeritatem conse-qui. Forsitan corpora nostra à malo Deo esse creata, nec ad communionē salutis illius æternæ ptinere, amicus Manichęorum, arbitraris? Si itaq; per fidē & charitatem Christi corpus, nostra corpora manducare non possunt, sed solùm hoc quod re ipsa est sumunt: efficitur Dominicum corpus reale esse in SS. synaxi. Rumpantur licèt ilia Hæretico, nodum hunc non soluet, & citiùs Ecclesiam Dei ōnesq; orthodoxorum libros quàm huius veritatis in fide Catholica prædicationem, exterminauerit.

Superest vt adhuc pro eadem præsentia roboranda quædam alia D. Augustini, quæ deprauare aduersarius voluit, testimonia proferamus. Ex quibus illud est maximum in Psalmos. — CAP. 4. Ex D. Augustino.

Ferebatur (inquit) manibus suis, quando cōmendans ipsum corpus suū, ait: Hoc est corp9 meū. Ferebat enim illud corpus in manibus suis. (Et alibi) Cū cōmendaret ipsum corpus suū & sāguinē, accepit in manus suas quod norūt fideles, & ipse se portabat quodam modo cum diceret: Hoc est corpus meum, & ferebatur in manibus suis. Hoc — In Psal. 33 Con. 2.

verò fratres, (inquit) quomodo posset fieri in homine quis intelligat? quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso Dauid secundum literam, non inuenimus: in Christo autem inuenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando cõmendans ipsum corpus suum, ait: Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis (Et iterum·) Quomodo ferebatur in manibus suis? quia cum commendaret ipsũ corpus suum & sanguinem accepit in manꝰ suas, quod norunt fideles, & ipse se portabat quodam modo cum diceret, Hoc est corpus meum. Hæc Augustinus. Ab his verbis Psalmi, omnẽ in primis mysticam & figuratam interpretacionem excludens, & secundum literam sensum quærens: rem difficilem, & prodigij plenam, vt se aliquis suis portet manibus, nec in Dauide secundum literam inueniri, nec fieri hoc ab vllo hominũ posse, confitetur. Nam si, iuxta te, figuras fuisset sectatus, rem paruo negotio expedisset, & tanquã humanis viribus, possibilem in Dauide etiam impletam inuenisset. Poterat enim Dauid imaginem suam, vel in numismate manibus

Chrũs secundum literalem sensum se ipsum in Euchari. suis manibꝰ ferebat.

ferre

ferre, vt se ipsum portare diceretur. At cùm prodigium tantum diuinæ Christi omnipotentiæ reseruet, & quòd illud fecerit in S. Eucharistia agnoscat, prorsus omnem tibi, Volane, ad sensum mysticum, & figuras, viam præclusit. Nõ ergo, sicuti tu dicis, corpus pro signo, id est, pane vsurpauit Augustinus. hoc enim nullum est miraculum Christi diuinitate dignum, & ad figuratum sensum, non ad literalem, quem hîc Augustinus inuenisse se dicit, pertineret. Nã quòd addit, quodam modo se portabat, rem, quam secundum literam impletam dicit, non aufert (verum enim & reale corpus suũ, manibus suis portabat) sed modum inuisibilem & sacramentalem, sub speciebus scilicet panis, vsurpat. Tu verò, vbi tibi figuræ non succedunt, aliam habes in promptu solutionem, & illud, vsitatũ tibi refugiũ.

Si propriè (inquis) seipsum portasset, duo corpora habuisset, Nec sanguinem suum propriè & naturaliter in manus accipere poterat. vt qui totus & integer, necdum pro salute humani generis profusus, in venis corporis Christi cõtineretur. At pessima — Vola. verba.

est

Impotentiã Chrõ Volanus exprobrat.

est hæc & infidelium propria solutio, vbi Deus difficiliora, quàm vt intellectu nostro penetrari possint, loquitur, illa fieri posse negare. quod nihil est aliud, quàm omnipotẽtiam eius blasphemare. Non aliud corpus, portabat manibus, sed illud ipsum in quo & sedebat. addidit enim, quod ꝓ vobis tradetur, hoc do ad edendum. Nõ aliud autem traditum est, quàm illud, in quo sedit, & quod ferebat suis manibus. Sed quia modum non capis, Deum id non potuisse criminaris, cũ dicis: Sanguinẽ suum propriè & naturaliter in manus accipere non poterat. O ingenium vbi est fides tua, quam Deo difficilia dicenti debes? Nec imitaris Abrahamum in spẽ contra spem credentem, vt conforteris in fide & des gloriam Deo, plenissimè sciens, quia, quæcumq; dicit Deus, potẽs est & facere. In talibus quæ nostrũ excedunt intellectum, omnipotentiæ fides optima est solutio. Crede, & omnem difficultatẽ soluisti, ad iustitiamq́; tibi reputabitur, superbam rationẽ tuã nec Deo cedentem in obsequiũ Christi iugumq́;

Rom. 4.

Oportet Deo in spẽ cõtra spẽ credere.

iugumq; fidei conijce. Quomodo Augustini mentem agnosces, cuius fidem non habes? ille in hoc miraculo, vt se suis aliquis manibus portet, animo obstupescit, & à Christo, quem Deum omnia potentem, cõfitetur, factum credit: tu contra fieri à Christo non potuisse dicis, & nihil aliud, quàm diuinitati eius insidias struis. Certè vnico hoc telo, quod contra tuas figuras pro reali præsentia Christi corporis in Eucharistia, fides D. Augustini vibrauit, prostratum te, necesse est fatearis.

Diuinitati Chri. insidiatur Volanus.

Sed & aliud item non minus graue pro præsentia corporis Christi testimonium accipito. Quia in ipsa (inquit) carne hîc ambulauit, & ipsam carnẽ nobis mãducandam ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit: inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solũ non peccemus adorando, sed peccemus nõ adorando. Quibus verbis, cùm cultum latriæ soli Deo debitum S. Eucharistiæ seu Christi in Eucharistia corpori exhibere nos debere, nec sine scelere præterire posse, doceat: maiestatem huius Sa-

In Psal 98

 crameti

cramenti, quanta sit, aperit, & præsentem in eo Dominum, qui solus est tali cultu adorandus, demonstrat. Tu verò nõ tanquam re vera præsentẽ, sed quasi in signo absentem adorari in Eucharistia Christum opponis. Ad quam interpretationem, singulare ab Ecclesia Catholica de imaginibus exemplum petijsti: in quibus nos adorare Christum non tamen præsentem in imagine statuere, omnemq; honorem imaginis ad prototypon referre S. Concilij Niceni secundi declaratione affirmas: vt similem adorationẽ Christi in Eucharistia D. Augustinum tradere cõfingeres. Ex hac tua tanta arte quæsita responsione, qua teipsum veritatem refugiens, arctioribus errorum vinculis innectis, hoc primum lucri reportamus: quòd tãdẽ post illam cum quodam ex nostris de imaginibus disceptationem (qua conuictum te tuum silentium, nec redditũ ad inuicta argumenta responsum vllũ demonstrauit) æquior esse imaginibus cœpisti: & synceram ab omniq; idololatria alienã Catholicam de eis esse doc

Volanus de imaginibus Catholicam doctrinã q́ prius accusabat repurgat.

trinam fatearis. At quantis paulò ãte clamoribus totoq́; ore personabas, meram esse in cultu imaginũ idololatriã: nec nunc opinor tua te recta voluntas, sed calumniandi verba D. Augustini quædam necessitas, ad hanc confessionem pepulit. Quæ tamen causam tuã tantùm abest vt iuuet, vt etiam condemnet. Nam quantùm S. Eucharistia ab imaginibns differat, illud ipsum Concilium Nicenum, q̃d pro illis contra Patriarchas vestros Iconoclastas decertauit ad depellendam perfidiam sacramẽtariam, arma nobis ante septingẽtos prope annos suppeditans, edocuit: sicuti superiore etiam libro fecimus mẽtionẽ. Non deerant ex illis impijs sacrarum imaginum hostibus qui Christi corpus esse in altari tãquam in imagine (quod nunc etiam tueri vult Volanus) mentiebantur, illamq́; solam, reliquis sublatis & demolitis, imaginem in Ecclesia admitti debere. Contra quos Concilij generalis fidem ita enunciare iam ante audisti: Generosi isti, sacrarum imaginum cupientes contemplationem obscurare, aliã

Conci. Nicen. 2 imaginũ cultum ab eo qui debetur Eucharistiæ distinxit.

ſcilicet imaginem introduxerunt, quæ ſanè non imago eſt, ſed corpus & ſanguis. Verũ vafricia & improbitate confiſi, falſo ſophismate ſeipſos ſubuertunt, hanc ſacram oblationem propoſitione fieri dicẽtes. Verũ quẽadmodum iſtud dicere, aperta inſania eſt: ſic & imaginẽ aſſerere corpus & cruorẽ Domini eiuſdem eſt dementiæ. Hæc trecenti quinquaginta Patres, Euchariſtiam ab imaginibus diſtinguentes, nec vllo modo illam corporis Chriſti eſſe imaginẽ ſeu figuram opinari quenq; debere docentes: vt veſtrarũ Hæreſium cõmenta tot ante annis inſaniæ & dementiæ condemnata eſſe tanta Eccleſiæ authoritate agnoſcas. Præſens enim Chriſti corpꝰ ex cõuerſione ſubſtantiæ panis eſſe, & præſentem in S. Euchariſtia Chriſtum Dominum, adorari omnis antiquitas, totaq; anteacta, vti iam audiſti, & audies, ætas orthodoxorum ꝓclamat. Vos certê eô eſtis impietatis prouecti, vt nõ plus S. Euchariſtiæ & inde vti colligo, aliȷs etiam Euangelicis ſacramentis tribuatis, quàm imagini alicui de media pictorum officina. Bene certê ſupra demonſtrauimus, vobis tot eſſe ſacramẽta

Sacramẽtariȷ ante 700 an: demẽtiæ et inſaniæ cõdẽnati.

Zuinglianorum ſacramenta nil ab imaginibꝰ diſtãt.

ta

cramenta, quot imagines: nec quicquã vos diuinum in illis agnoſcere: nec maiorem virtutem, quàm habeant figuræ & imagines illis cõcedere. Reliquum eſt ergo (iſte enim eſt hæreſium ſcopus) vt ſicut imagines ſacras demoliti eſtis, ita & ſacramenta, quorum non eſt maior vſus, prorſus exterminetis: quæ certè, ſi nullum reale & præſens cœleſte donum ex ſe conferunt, & in ſe continent, imaginibus ſunt multò viliora. Per eas enim ceu quandam prædicationem (quæ eſt vobis ſacramentorum cauſa) longè apertiùs excitatur fides, quàm per panem, vinum, aquã & oleum. Aut ergo imagines reſtituite vt meliora habeatis ſacramenta Zuingliani: aut quæ videmini habere longè ad ſignificandum ineptiora eijcite. Fecerunt hoc veſtri Anabaptiſtæ apertè, vos idem facitis occultiùs.

Imagines Zuinglianorum ſacramẽtis sũt potiores.

Vt verò agnoſcas quàm ineptè hoc ſũmum ex adoratione præſentiæ Chriſti in Euchariſtia argumentum, ſimilitudine adorationis imaginum eludere volueris, cogites ideò Chriſtum in imagi-

ne adorare nos, sanctosq; venerari, q̄d imago mox animum ad contemplationem prototypi, sicuti illud Nicenum Concilium docuit, transferat: nec vllū aliud sua natura quàm significandi habeat officium. At panis & vinum nec ex se mihi referunt Christum, nec ad significandum, sed ad comedendum potiùs sua natura producta sunt. Quomodo igitur in pane, (qui nullo modo ipsū refert Christum, & in quo nec ipse Christus est præsens, nec vlla eius talis sicuti est in imagine, innata scilicet & cuiuis obuia similitudo & relatio) Christus ipse adorabitur? An non procliuem ad idololatriam viam Volane ostendis, cū in pane adorare Christū iubes, in quo nec est ipse præsens, nec vllum apparens eius signum? Non in pane ergo Christum, sed ipsum panem adorare tanti criminis author præcipies. At verò libera est prorsus ab omni artolatriæ occasione adoratio, vbi non panis esse, sed ipsum verum post consecrationē substātiæq; panis mutationem Christi corpus, ipso Domino dicente, Hoc

Occasionem artolatriæ præbet Volanus.

eſt corpus meum, prædicatur.

Satis me iam de D. Auguſtini ſententia loquutum arbitror: alios more noſtro S. orthodoxos Patres cõſulamus: vt appareat, quales ſe & ipſi, præter illos, quos iam hoc etiam libro recenſuimus, teſtes realis Chriſti corporis in Euchariſtia præſentiæ, exhibeant, & q̃ acres ſint tuarum figurarum, nudorum q́ & re õni vacuorum ſignorũ, inimici. CAP. 5.

Iuſtinus ille antiquitate & martyrio inſignis hæc de SS. myſteriis ſcripta reliquit. Cibus ille (inquit) vocatur a nobis Euchariſtia, cuius participium nulli omnino fas est permittere, niſi credenti doctrinã noſtram eſſe veram, & iam lauacro regenerationis in remiſsionem peccatorum loto, & ita veſcitur vt Chriſtus tradidit. Non enim vt quemuis panem, neq́ vt quemuis potum, iſta omnia acccipimus: ſed quemadmodum per verbum Dei incarnatus eſt Ieſ9 Chriſtus Saluator noſter, & carnem & ſanguinem pro noſtra ſalute aſſumpſit: ita quoq́ per preces verbi illius, cibum ex quo ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, cum benedictus fuerit, Ieſu ipſius incarnati carnem & ſanguinem didicimus eſſe. Quàm pura & ſimplex, ſynceri & digni pro hac fide martyrio pectoris, confeſ-

Iuſtinus Martyr vixit cir. an 150. In Apolo.

sio. carnē Christi in Eucharistia cum illa admiranda in vtero virginis incarnatione comparat: & vtranque per illius verbum effici, & hanc ex pane per benedictionem fieri docet. & tantum tāque stupēdum miraculum, non se scire aut intelligere, sed didicisse, fideique obediētia credidisse gloriatur.

Basilius magnus vixit circa an. 370 de Bapti: serm. 2 cap: 3.

Basiliū etiā audiamo magnū iurè dictū. Si tales, (inquit) minæ positæ sunt, qui temerè ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur: quid dicendum est de eo qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quantò enim maius aliquid est templo secundum Domini vocem: tantò grauius & terribilius est in animæ impuritate cō scitutum corpus Christi temerè contingere quàm sit accedere ad arietes & tauros, dicente Apostolo: Probet autem seipsum homo (Et infra) Quod si in immūdicia tantū constitutus (immundiciæ verò proprietatem typicè ex lege discimus) tam terribile iudicium habet: quantò magis, qui cum in peccato sit, corpus Domini contingere audet. Hæc Basil. Si figuram esse corporis in Eucharistia sensisset, quomodo illam, ab illis antiquorum sacrificijs, quæ nuda tantū habebant signa, tam insigni interuallo secreuisset? nisi quòd illa vetera symbo

la tantùm, hoc autẽ nostrũ sacramẽtũ, verũ Christi corpus sub signis cõtinet Audi & Epiphanium. Verus est (inqt) qui cum gratia id, quod est secundum imaginem homini largitus est. Videmus, quòd accepit saluator in manus suas (veluti Euãgelium habet) quòd surrexit in cœna & accepit hæc: & vbi gratias egisset dixit, Hoc meum est, hoc & hoc: & vidimus, quòd nõ æquale est, neq; simile, nõ imagini in carne non inuisibili Deitati, non lineamentis mẽbrorum. hoc enim est rotundæ formæ, & insensibile, quantum ad potentiam: & voluit per gratiã dicere, Hoc, hoc ẽ meũ, hoc & hoc & nemo non fidẽ habet sermoni. Qui enim non credit esse ipsum verum sicut dixit, is excidit à gratia & salute: Hæc Epiphanius. Considera, vtrũ ad figuras in hoc Christi difficili & arduo impossibiliq; nobis sermone confugiat: cùm potiùs tãtam fidei obedientiam exigat, vt credamus id esse, quod dixit Deus, licèt nil simile in speciebus panis, sensus nostri deprehẽdant, nisi dãnationi subijci velimus.

Epiph. vixit circa an: 410. Libr. Anchora.

Licèt nil in speciebus sit æquale & simile corpori Christi, tamen credendũ ẽ sub illis esse corpus Chri

Audisti clarissima orientis lumina, quæ præsentiam hanc Dominici corporis planè domonstrant: adsint & illi antiquissimi & integerrimi occidentis præcones. Sequitur Optatus Mileuitanus

S. Optatus Milenitanus vixit circa an. 388 Lib. 6 cō. Donatistas.

nus, cuius verba quæso expendas.

Quid enim Altare (inquit) nisi sedes & corporis & sanguinis Christi? Quid vobis fecerat Deus, q̄ illic inuocari cōsueuerat? Quid vos offēderat Christus, cuius illic certa monimēta, corp9 & sāguis habitat (Et infra) Ergo, & fregisse vos & rasisse altaria cōstat hoc tam immane facinus, dum fregistis etiā & calices Christi sanguinis portatores.

Zuingliani nō habent altare sed mēsam domesticam in suis synagogis.

Vos verò egregij āntiquitatis testes, nec altaria habetis, sed mensas, imò hac estis vsi in templa Dei, quam hîc deplorat Arrianorum & Donatistarū immanitate, vt altaria subuerteretis. Calices etiam Christi sanguini portando destinatos, templorū expilatione facta, prodegistis, ad vestrumq́; luxū illis estis abusi: & cum Balthazaro impio, vestris mensis, crapulæq́; deseruire iussistis. O degeneres filij, & veri Arrianorum, Donatistarumq́; successores. Nisi re præsens esset Christi Corpus in altari, & in calice realis sanguis, nō tam facinus immane & execrandum esset, iuxta Optatum, & omnes antiquos hæc violare & frangere.

Dan. 5.

Prosper Regien. vixit cir: an: 410.

Animū nunc aduerte, quid Prosper & alij qui illum ætate sequuti sunt de

hac eadem quam tuemur præsentia dicant. Prosper quidem. Caro eius est (inquit) quam, formâ panis opertam, in sacramento accipimus: & sanguis eius est, quem sub vini specie & sapore potamus. Nō panis est ergo in Eucharistia, sed reale corpus Christi, species verò panis tantùm permanent. Lib. sent.

Leo Papa. Dicente Domino (inquit) nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitā in vobis. Sic sacræ mensæ cōmunicare debetis, vt nil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, & frustra ab illis Amen respondetur, â quibus contra id, q̃d accipitur disputatur. Ore sumi quomodo potest, nisi sit reale corpus? nec, sicut tu dicebas, aliud corpore, aliud corde sumitur, sed idem Christi corpus. Quàm diuersam ab Orthodoxis doctrinam profitearis, hinc etiam collige. Leo Magnus Papa vixit circa an. 452. serm. de ieiunio

Gregorius quoq; magnus. Quid nā sit (inquit) sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis: qui sanguis super vtrunq; postem ponitur, quando non solū ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. (Et infra) Quid enim prodest corpus & sanguinem illius ore percipere, & ei peruersis moribus cōtraire? Gregorius Magnus Pap. vixit circa an. 590. Hom: 22.

Alios

Cap. 6.

Alios propè innumeros cõsultò prætereo. Quidam Catholici præclarã diligentiam in colligendis ferè omnium, qui extant, scriptorum sententijs per omnes ætates Ecclesiæ, pro veritate huius diuinissimi sacramẽti, nauarũt: quos si vis consule. me tua pertinax vox, qua te sequi omnes Orthodoxos confingis alijsq; rudibus imponis, ad hos etiã recensendos compulit. A quibus potuerit ne vnquam D. Augustinus, de quo nobis potissimùm suscepta est contentio, dissentire, aut aliud q̃ isti docuerũt docere, & suam propriam, non communem cum istis patribus de S. S. Eucharistia fidem profiteri: tuipse iudica.

D. Augu: ab alijs Doctoribus non dissensit.

Si enim diuersam & tuam hanc Berengarianam sentẽtiam docuisset, vel alijs S. Patribus D. Augustinus Hæreticus, vel illi omnes fuissent Hæretici. At hoc dici, sine noua in diuinum virum contumelia, non potest. Nam quãti aliorum & sui temporis & antiquiorum Doctorum sententias fecerit, & quàm strictẽ nunq; sibi esse deserendas censuerit, de seq; suisq; scriptis demissè senserit, ex his

D. Augu. aliorum Doctorũ sentẽtias magni fecit.

Cont. Iulia: Pelag lib.6.cap. 11.

his quæ afferemus intelliges. Hinc factum est (inquit) vt sic ista intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambrosius, & cæteri Ecclesiæ sancti notiq; Doctores. Et alibi ad eundẽ, vbi Doctorum sententias recensuisset, sicuti nunc ego feci, his verbis alloquitur Iulianũ, qbus & ego alloquor Volanũ. His eloquijs (inquit) & tanta authoritate sanctorum, aut sanaberis Dei misericordia donante: quod quantum tibi optem videat qui faciat: aut si quod abominor, in ea quæ tibi videtur sapientia, & est magna stultitia perduraueris: nõ tu iudices quæsiturus es, vbi causam purges, sed vbi tot sanctos Doctores egregios atque memorabiles Catholicæ veritatis accuses, Irenæum, Cyprianum, Reticum, Olympium, Hilarium, Gregorium, Ambrosium, Basilium, Ioannẽ, Innocentium, Hieronymum, cæterosq; socios & participes eorum, insuper & vniuersam Christi Ecclesiam: qui diuinæ familiæ Dominica cibaria fideliter ministrantes ingenti in Domino gloria claruerunt. Aduersus hanc autem miserabilẽ, quam Deus auertat, insaniam, sic respondendum esse video libris tuis, vt fides quoq; aduersus te defẽdatur istorum, sicut contra impios & Christi professos inimicos etiam ipsum defenditur Euangelium. Et iterum Tu interim (inquit) habes in conspectu, non solũ occidentis, verum oriẽtis Episcopos. Nam qui nobis, de-

Lib: 2.

Ad eundẽ Lib.1.ca.2. Doctorũ cõsensus.

esse

esse videbatur, plures orientis inuenimus: õnes vno eodemq; modo credunt. (Et infra) Si hoc quod dicit Manichæus, abs te dicitur istos aspice, istos erubesce, istis parce, vel tibi potius, ne rector & habitator illorum tibi forte non parcat (Et iterum) Quod credunt, (illi scilicet enumerati S. Doctores) credo: quod tenent, teneo: quod prædicant prædico. Istis cede & mihi cedes, acquiesce illis, & quiesces à me. Poteris ne suspicari Volane, cum hæc audis, solitariam & nõ Catholicã cõmunemq; cũ his quos ꝓduximus, D. Augustinũ de vera & re ipsa existẽte corporis Domini, in sacramẽto altaris præsẽtia, habuisse sentẽtiã: Credere ipse, nõ modo docere & prædicare nõ audet, q̊d non vel ab eis didicisse, vel vno eodemq; ore cũ eis loqui se probaret, imò diuersum aliquid ab illorum doctrina sentire Hæreticum arbitrabatur. Non erat D. Augustinus vestri similis, qui propria & noua semper ideóque falsa dogmata fabricatis: & quæ confingitis, totius etiam orbis iudicio damnare & relinquere recusatis. Ille de suis omnibus quæ dixit & scrtpsit adeò modestè sẽsit, vt si aliqd vel vnica erroris suspicione notatum dixisset

Quod credũt credo quod prædicãt prædico.

D. Augu. quædam docere sine Doctorũ aliorũ cõsensu nõ audet.

xiſſet illud tanꝗ erratum coram toto mundo confiteri, & retractare quod incautus protuliſſet, non erubeſceret. Vnde illis retractationũ libris tanta diligentia conſcriptis ſummæ ſuæ humilitatis monimentum reliquit. In quib9 quærite an de Euchariſtia illa quæ dixit & quæ nos tanta eius ſententiarum copia attulim9, retractauerit. Cætera enim minoris momenti ibidem commemorat. Vos contrà tanti veſtri capitis commenta facitis, vt ne totius quidem orbis ſententiæ Conciliorumꝗ maieſtati cedatis. Ille ſua ſcripta Romani Pont: examini ſubiecit, hæc ad Bonifacium Papam ſcribẽs. Hæc ego (inquit) quæ iſtis duabus Epiſtolis illorum, iſta diſputatione reſpondeo: ad tuam potiſſimum dirigere ſanctitatem non tam diſcenda quàm examinanda, & vbi forſitan aliquid diſplicuerit emendanda, conſtitui. Vos autem omnium iudices haberi & nulli omninò veſtrorum capitum portenta ſubĳcere vultis. Quòd verò aliquando D. Auguſtin9 ſua ſcripta iuxta diuinæ ſcripturæ ſententiam iudicari, & inde omnem de illis cenſuram peti debere dixit hoc

D. Augu. humilitas et modeſtia.

D. Augu. ſententia de S. Euchariſtia nõ retractauit.

D. Augu. ſua ſcripta examini Rom: Pont. ſubiecit.

Con. Duas Epiſ: Pelag. lib 1. cap. 1.

In his quæ Ecclesia definiuit nunquam D. Augu, ad scripturã prouocauit.

hoc cum his fecit, quorum vel æqualis secum, vel suspecta esset authoritas: & in his præterea rebus de quibus nulla Ecclesiæ definitio intercessisset. At vbi ad aliorum Doctorum Sanctorumque consensum, Ecclesiæque iudicium, & illã nequaque suspectam sed semper Dei verbo scripturæque consentientem authoritatem ventum est: ibi cedere & suum iudicium postponere didicerat, ille qui Christo dicenti parebat: ne veluti ethnicus & publicanus condemnationis sententiam reportaret. Vos verò scripturam, hoc est, impia & falsa Hæresium vestrarum, peruersæque interpretationis commenta iactitantes, in perpetuo temeritatis cæno, nulla diuina etiam Ecclesiæque authoritate vincẽdi, volutamini

Matt: 18.

Cogita igitur Volane quàm iniquè D. Augustinum, de quo potissimùm inter nos suscepta est controuersia, traducas, & tuæ Hæresis patronũ appelles. Maiorem impudentiam & calũniandi libertatem orbis forsitan non vidit: eum cuius monimenta semper manibus versabat Ecclesia, Berengarianum, quam

Iniuriam D. Augustino facit Volanus

Hære-

Hæresim ipsa est execrata, facere, & tã turpem notã celebratissimo Doctori inurere. Hoc mihi intolerabilis videtur audaciæ, & illius prorsus animi qui nec Deum, vt inquit scriptura, timeat, nec homines reuereatur. Si qd D. Augustini scripta suspectum habere, & errorẽ illum impium, & in sacramentum, omni adoratione dignum, contumeliosum peperisse, vel natum aluisse Ecclesia cognouisset: sua in D. Augustinum, eiusq; monimenta authoritate fuisset vsa, & illa suo graui & sancto iudicio iam pridẽ condemnâsset. Si enim D. Cypriano Martyri seueritas Ecclesiasticæ censuræ pro puritate dogmatum retinenda & conseruanda, etiam mortuo non pepercit, sed eius non tam Hæresim dum viueret, quàm errorem in rebaptizandis Hæreticis condemnauit: quomodo D. Augustino pepercisset? quomodo vnius vocem omnium Episcoporum, Doctorum, Conciliorumq; sententijs anteponeret? At potiùs purissimam illius doctrinam agnouit semper, & illum nec à seipso vnquam dissensisse nec ab

Luc. 18.

Si sacramentarijs fauisset D. Augu. iam pridẽ Ecclesia eius scripta dãnasset.

Martyri Cypriano Eccl. non pepercit.

D. Augu. Ecclā quanti fecit.

aliorum Doctorum Conciliorumq; sententia recessisse, imò sua ōnia iudicio Sūmorum Pont. subiecisse agnoscit. Ideoq; illum etiam Florentina Synodus Illustrissimum Latinorum Doctorem vocans, à quinta vniuersali consecratum esse fatetur.

CAP. 7

De adoratione D. N. Iesu Chrī in S S. Eucha.

Iam à calumnijs vindicata D. Augustini sententia, & orthodoxorum pro vera & reali Christi Domini corporis præsentia recitata, ad id q̄d secūdo loco tractādū sumpsimus, descendēdū ē.

Volanus ante Conciliū Later. non fuisse adoratum Chrūm ī Euchar. confingit

Adorari cæptam & seruari S S. Eucharistiā post Cōciliū Lateranēn. trecentis ab hinc annis asserere audes, cū inquis. Post Lateranense Cōcilium Eucharistia demum adorari, & pro Deo ipso, proh dolor, coli cæpit: constitutæq; sunt in templis, varijs picturis, & exquisito ornatu fulgentes ædiculæ in quibus sacramentum asseruatū adoraretur. Hanc tu insimulationē & calumniam maledictis & scommatibus amplificas & auges. Dominus tibi det mentem meliorem. Si probatū est, totam antiquitatem credidisse, & firmissimè confessam esse semper, in Eucharistia præsens corpus Christi, ipsūq; Christum

Christum præsentem adesse: cui ratio- ni consonum est, adorationem Christo auferre, & non eundem ibi, cultu omni diuino honorari, vbi esse, & sub specie- bus visibilibus, latere eius diuinum cor pus & sanguis creditur? Essemus ne fi- deles, imò homines bestijs absimiles (nam & hæ, honorare suos benefacto res deprehẽduntur,) si Christum, quẽ in Eucharistia credimus, negligeremus & debitum illi diuinumq; honorẽ sub- traheremus? Credit in filiũ Dei cæcus natus, & quàm primùm illi monstratur hunc esse, qui colloquio illũ suo digna- retur, cadit in terram, & adorat. Credi mus & nos hunc ipsum esse sub specie- bus panis inuisibilem: & ideò prouolu ti proniq; adoramus.

Fide dicit adorationem. Ioan. 9.

Hoc verò fecisse in his mysterijs Ec- clesiam, plena antiquitatis exempla de- monstrant, quæ, vel non legisti, vel dis simulas. sed tali vanitate contrarium probas, vt vel tuipse tui figmenti sis testis. Ab Innocentio enim adorationẽ Eucharistiæ, hoc est, Christi Corporis in Eucharistia traditam esse, originem

quæ sumpsisse dicis, & iam ante nongentos annos, apud D. Augustinũ illius testimonium agnoscis: & adoratã præcepto etiam & pœna peccati proposita, confessus es, cùm ita eum dicentem audisti: Nemo illam carnem manducat, nisi prius adorauerit. Inuenimus quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Illam adorationem soli Deo debitam corpori Christi in Eucharistia exhibitam fuisse, nec illam sine scelere negligi potuisse, ab õni antiquitate confirmat, & adorationẽ corporis Christi, cum ipsa manducatione initia sumpsisse pronunciat. Nemo inquit manducat, nisi prius adorauerit, quàm antiqua igitur manducatio, tã & adoratio. Tu verò si Innocentiũ eã instituisse confingis, manducationem etiã illum corporis Christi instituisse, finge.

Adoratio nem Chrĩ in Eucha. viguisse sub tempora August. fatetur aduersarius.

Tam antiqua est adoratio sicut & manducatio corporis Chrĩ in Eucha.

Audi & D. Ambrosij, vt scias à quo hauserit Augustinus, eandem de Adoratione fidem, in eundem Psal. Scabellũ (inquit) terra intelligitur: per terram autẽ caro Christi, quam hodie quoq; in mysterijs adoramus: quam & Apostoli in Domino Iesu ado-

Lib. 3 de spiritu s. cap. 12.

sti adorauerunt. Et Chrysostomus locuples antiquitatis & traditæ fidei testis. Hoc corpus (inquit) in præsepi reueriti sũt Magi: & viri impij & barbari longo itinere confecto, cum timore & tremore adorauerunt plurimo. Imitemur igitur saltem barbaros hos, qui cœlorũ ciues sumus. Illi enim cum præsepe & tugurium tantum neq; eorum quicquam, quæ tu nunc intueris, viderunt: summa accesserunt cum reuerentia & honore: tu verò non in præsepi, sed in Altari, non mulierem, quæ vlnis teneat, sed Sacerdotẽ præsentem, & spiritũ S. super proposito diffusum sacrificio vides. (Et alibi) Cum autem Sacerdos & Spiritũ S. inuocauerit, Sacrificiumq; (inquit) horrore & reuerentia plenissimum perfecerit, communi õniũ Domino manibus assiduè pertractato.

1. Cor. Hom. 24

Lib. 6 de sacerd.

Theodoretus quoq; in eadẽ sententiã Intelligendum (ait) Mystica symbola quæ facta sunt, & creduntur & adorãtur, tanq; ea existentia, quæ creduntur. Sic illi sancti ad adorationẽ Christi corporis in Eucharistia, populum inuitantes, horrore ac reuerentia plenissimum sacrificium Eucharistiam appellant. Cernis itaq; S. Eucharistiam non à temporibus Lateranensis Concilij adorari cæptam: sed simul cum ipso vsu huius diuinissimi sacramenti ipsaq; sumptione & sacrificio

Dialo, 2. in Polim.

ipſo ex Chriſti inſtitutione natam eſſe & ad noſtra tēpora in myſterijs Eccleſiæ perdurasſe.

CAP. 8. De aſſeruatione S. S: Euch.

Sed & illud contumelia non caret, quod de Aſſeruatione S. Euchariſtiæ conuiciatur. Libenter ſanè illam nunquam fuiſſe in Eccleſia pro infirmis alijsque euētibus recōditam, aſſeueraret: ſed cùm hoc non posſit, & conuinci ſe antiquitate videt, diligentiam recentiorū ſeculorum reprehēdit: quòd accuratiùs & honeſtiùs ſeruari cæpta ſit. Qua in re, &ſi antiquitati detrahat: quæ dubio procul, quantò maiore feruebat fide, tantò feruentiorē rebus diuinis exhibuit cultum & obſeruantiam: tamen ad commendationem Innocentij tertij & aliorum ſubſequentium Pontificum hoc pertinet, vnde illis reprehenſionē quærit. Si ſeruata eſt, Volane, Euchariſtia: quæ culpa eſt, ſi id, quod fieri debet, ſtudioſè & diligenter, maximaque animi promptitudine fiat? An reprehendes Dauidem dicentem, & ſeipſum excitātem coram propheta Nathan. Vides ne

2 Reg. 7. quòd ego habitem in domo cedrina & arca

Dei poſita ſit in medio pellium, q̃ ꝑ taber
naculis pellium, cedrinum Arcæ ma-
gnificumq́; templum fabricare conſti-
tuerat, vt cultu ampliori augeretur. At
Deus hanc eius voluntatem, ſummis,
de Chriſto ex eius lumbis procreando
promiſſis remunerat: vt nunquam ma
iora ſe à Deo beneficia fateatur recepiſ
ſe. Legiſſes S. Petri diſcipulum Clemẽ-
tem, hanc iam tum diligentiam, in aſſer S. Clemẽs
uanda Euchariſtia exegiſſe, ne tibi B. Petri
nouum præceptum Innocentius iij. tra diſcipul9
didiſſe videatur. Ita enim inquit: Tribus Epiſt. 2
gradibus commiſſa ſunt ſacramenta diuino
rum ſecretorum, presbytero, Diacono &
Miniſtro: qui cum timore & tremore reliq-
as corporis Domini debent cuſtodire fra- Aſſerua-
gmentorum, ne qua putredo in ſacrario in- tio S. Eu-
ueniatur: ne cum negligenter agitur, porcio chariſtiæ
ni corporis Domini grauis iniuria inferatur. q̃ antiq-
Tu verò honeſtatem & diligentiam re qua.
prehendis. Velles proculdubio Sãctiſ
ſimam Euchariſtiam, quam ſeruatam
ſemper in Eccleſijs, ab ipſo Apoſtolo-
rum ſeculo agnoſcere cogeris, in pul-
ueribus ſordibusq́; iacere: vt ſicuti eam
contemnis, & ſigna tantùm in ea vides

ita ab alijs omnibus contemneretur. Tibi quidem non credenti, nec tanta ponderanti Christi præsentiæ mysteria, facilè hunc contemptum, quod infidelium est, persuasisti: Catholicis verò omnem cultũ & reuerẽtiã, erga tam abstrusa & diuinitatis plena secreta, fides ipsa impe rat & præscribit. Et illud quidem asseruatæ Eucharistiæ, quod Eusebius à viro celebratissimo Dionysio Alexãdrino recepit, plenũ ãtiquitatis exemplum quod tu etiam inuitus agnoscis, cultu suo, quod velles, caruisse Eucharistiam non declarat. Nam necessitas illa extrema hoc exegit, vt à puero etiam id portaretur, quod nunquam, nisi à Presbytero & Diacono tractatur. hoc enim licere, nunc etiam, si tanta vrgeat morituri necessitas, non negarem. Nã & qui deferret presbyterum decumbẽtem ex morbo, & alterius agonem, qui moram non ferebat, nec sine diuino hoc cibo migrare ex hac vita poterat, disertè D. Dionysius descripsit. vt res inusitata & non sine ratione facta, vicq; necessitatis exacta intelligeretur.

Euseb. lib 6 cap. 34 Eccle: Hi:

Ceterum

Cæterùm hoc idem exemplum, quod contra teipsum profers, duos vestros errores condemnat: vnum, quòd nec asseruandæ Eucharistiæ vllum habetis morem, imò eum proscinditis damnatisque (seruatam enim S Eucharistiã, morbus presbyteri, noxque ipsa intempesta testatur) alterum quòd nec morituros illa refici, sed extra cætum vestrum, mēsæque illius profanæ consessum, neminē Eucharistiam, (si modò apud vos Eucharistia est) etiam moriturum sumere oportere, docetis. In quo Apostolicæ vos Ecclesiæ, totiusque antiquitatis contemptores cuius nullum in vobis extat vestigium satis abundè declaratis.

Zuingli. nec asseruant nec morituris præbēt Euchar.

Sunt & alia multa grauissimaque adseruatæ in templis Eucharistiæ antiquæ consuetudinis testimonia, quæ proferre constitui: vt cognosci possit apertiùs qui vos & vnde sitis, qui nil ab illa Apostolica antiquitate receptum per manus que traditum habetis, sed omnia á vobis ipsis conficta, nuncque primum ab aliis Hæreticis inuenta pro expresso Dei verbo venditatis: illasque res diuinas quas

tanta antiquitas Ecclesiæq; consuetudo commendauit, contemptu & scommatibus insectamini. Extat inprimis in Cōcilio Niceno tale decretum, quo absente Episcopo & presbytero, Diacono facultas proferendæ & distribuendæ sacræ Eucharistiæ datur. Vnde nemini dubiū esse pōt: illā, quæ primū ab Episcopo vel presbytero consecrata erat seruatā fuisse: nec enim cōfici eam à Diacono fas est. Hoc ipsum etiam Concilium, cùm neminem sine sacra hac communione, tanquam omnium maximè necessario viatico, ex hac vita migrare præcipit, curamq; hanc Episcopis commendat: satis ostendit, asseruationem S. Eucharistiæ fuisse tum iam more receptam. Pericula enim infirmorum, temporumq; ratio, quibus in hanc huius diuinæ refectionis sumendæ necessitatē incidunt, non permittit, vt tunc primū cōficiatur cōsecreturq; hoc sacramētū cū migrādū è vita ē. Et Iustin9 Martyr ātiqsim9 testatur absētib9 fuisse portatā eadem die, qua celebrabatur mysteriū ad eos, qui impediti morbo à cætu abe-

Ante Nicenū primum Cōcilium asseruandi corporis Domini viguit cōsuetudo.

Conciliū Nicenum morituros corpus Christi sumere præcepit. hoc Zuingliani cōtemnunt

rant: quibus certè non semper facultas permittebat, vt sacrum Christi corpus eadem die, propter morborum euentuūq; varietatē, perciperēt: sed in aliū diem asseruari quandoq; Eucharistiā oportebat. Apud Irenæū Ecclesiæ Romanæ consuetudo recensetur: ex Oriente venientibus Episcopis, Eucharistiam mitti fuisse solitam: quod sine asseruatione illius, fieri, in varijs euētibus & casibus, non potuisset.

Et D. Chrysostomi seculum, eūdem morem habuisse, ipse Epistola ad Innocētium copiosus est testis: cùm milites sub vesperam ingressos in sacrarium, preciosum sanguinem profudisse queritur. Iam enim nec tempus celebrandi sacrificij erat, nec in altari repertū, sed in abditiore loco, in quo custodiebatur perfusum scribit. Prætereo cetera, præsertim quòd asseruatam ab omni antiquitate non neges: sed tamen in ædibus priuatis, vt inde simplicitas āntiqua ad detrahendum honorē huic diuinissimo sacramēto, tibi patrocinetur, dicis. Sed nec causam, propter quam in ædibus

Niceph. libr. 13 cap. 9.

In abdito loco seruatū chrī sanguinē epistola D. Chrī sosto. testatur.

bus priuatis seruabatur, commemoras: nec cum simplicitate prudentiam antiquorum coniungis. Nam cùm sub illa Cypriani tempora, ex cuius hæc epistola, de priuatis domibus, petitur exemplum, templa publica Christianis tot calamitates & persequutiones eriperent, tyrannorumque edicta extruere illa prohiberent: domibus priuatis, non tantùm ad seruandã S. Eucharistiã, sed etiam ad omnia sacra mysteria peragenda vtebãtur. Cumque in dies ad martyrium raperentur, quando iugulum eorum appeteretur incerti, vt corpore Christi, ad martyrium ituri reficerẽtur, & ad tormẽta perferenda armarentur, inuicti illi Athlethæ, domi Eucharistiã reseruabant.

Propter persecutiones in domibus priuatis seruabatur. Eucharistia.

Varia denique persecutionum tempora & pericula, varium, & quem necessitas exprimebat, seruandæ & honorãdæ S.S. Eucharistiæ, morem cultumque inducebant. Nemo tamen ignorabat, etiamsi simplicitatem in seruanda S.S. Eucharistia habuerit, corpus se Christi in illa periculã seruare: quin prudenti

æstimatione maiestatẽ mysterij agnosceret, & veneraretur. quæ etiam miraculis illo eodem tẽpore, vti scribit Cyprianus declarata est. Cum quidam (inquit) arcam suam, in qua sacramentũ Domini fuit manibus indignis tentasset aperire igne inde surgente, deterritus est, ne auderet attingere. Vides, non vt communẽ panem fuisse seruatam Eucharistiam: sed tanquam stupendis miraculis plenum, Christi in ea corpus venerabãtur. Q̃uod verò tu illam cum benedicto pane, qui ex templis domum à singulis ferebatur, & ante communes cibos prægustabatur, confundis, vel magnã ignorantiam antiquæ consuetudinis præ te fers: vel animum nocendi, & alijs imponendi ostendis. De hoc enim benedicto pane, qui etiam ipsis dabatur Catechumenis, plurima sunt apud Augu. testimonia quòd Eucharistia non fuerit. Illud præsertim: Catechumenos secundum quendam modum suum (inquit) per signum Christi, & orationem manus impositionis, puto sãctificari: & quod accipiunt quamuis non sit corpus Christi, sanctũ est tamen: & sanctius quàm cibi quibus alimur: quoniam sacramentum est. Et vt hoc

Cypr. ser. 5. de lapsis.

Panis benedictus non erat Euchar.

De pecca. merit. lib. 2 cap. 26.

obiter dicam. Verba hæc D. Augustini de pane benedicto, egregiè ſigna veſtra, quæ ſola in S. Synaxi agnoſcitis, condemnãt: cũ quiddam ſublimius, ſignis que ipſis Chriſti corporis quæ Catechumenis etiam erãt communia, altius, in S. Euchariſtia eſſe comparatio iſta cũ pane benedicto proclamet. Si enim ſignum eſt tantùm Chriſti corporis in pane Euchariſtico, quid obſecro ab hoc pane benedicto, qui corpus Chriſti ſignificabat, ipſiſq; etiam nec dum ſacro lauacro ablutis porrigebatur, differebat? Et panis quidem benedictus, quem domum referebant fideles, & quem ante cibos cõmunes prægustabant, Catechumenis etiam præbebatur: ab Euchariſtiæ verò non vſu tantùm, ſed etiam aſpectu, vti ex eodẽ D. Auguſtino cõſtat, arcebantur: ab ipſaq; myſterij celebratione excludebantur. Quam porrò ob cauſam aliam, niſi quòd in Euchariſtia non iam ſignum nudum, ſed ipſum re exiſtens Chriſti corpus, venerabatur, ſumebaturq;? Aliter enim cum pane benedicto confun-

Panis benedictus quid ab Euchar. deferebat.

Tract. ij & 96. in Ioan.

deretur, frustraq; ipsis Catechumeis ne-
gari videretur. Extant & apud Paulinū
Diuumq; Gregorium: de hoc pane be-
nedicto illustria testimonia. Græcorū-
q; & Armenorum hactenus retenta cō
suetudo: qui panem quem religiosè an
te cōmunes cibos sumunt, ex templo
in testimonium celebrati sacrificij, defe
runt: nec illum Eucharistiam & Christi
corpus esse, sicuti tu confingere vis, cre
dunt, vt mirum non sit, si ille panis cul-
tum & venerationem talem non habu
erit, qualis SS. Eucharistiæ debetur.
Sed quid tibi, Volane, cum asseruatio-
ne Eucharistiæ, qui sola signa in ipsa no
uisti, & figuras tantùm vmbrasq; tenes
nec dandam esse morituris infirmis, Sy
nagoga vestra iudicat? Quod vnum te
statur, sacramentum hoc inutile vobis
videri, quod tanto neglectu, contra ō-
nem antiquitatem, etiam in ipso agone
contemnitis. Si Luteranus esses, meri-
tò hæc à te requirerem. Si verbis & be-
nedictione ipsius Christi Eucharistia cō
ficitur: quomodo Dei verborum & be
nedictionis virtus, etiam si non suma-
tur

Greg. lib: 4 Dial. cap. 55
Paulin. Episto. 35. ad Alipi.

Extra vsum post consecrationem corpus ē Chrī S. Euchar.

tur, in ea deperibit? Si deperire dicis: insanire te S. Cyrillus Alexandrinus clamabit. Eius enim sunt verba. Insaniunt igitur dicentes mysticam benedictionem à sanctificatione cessare, si quæ reliquiæ remãserint eius in diem subsequentem. Non enim mutabitur sacrosanctum corpus Christi, sed virtus benedictionis, & viuificatiua gratia iugis in eo ē. Nos ergo summo fidei nostræ testimonio benedictionisq; diuinæ immutabili & semp permanente virtute, ipso deniq; antiquitatis exemplo, & infirmorum periculo admoniti, Eucharistiam reseruamus: vos verò quo iure, quo antiquitatis exemplo, illã quam Eucharstiã putatis, vel illa quæ ex mensa vestra Zuingliana supersunt, iuri carnium miscetis, & cum cibis cõmunib9, vti hic Vilnæ fecistis, sumitis? Clamarem summum hoc sacrilegium, summũ nefas esse, si vel sacerdotio vestros Ministros fungi, vel ad conficienda sacramenta potestatem habere scirem: vel aliquid præter panem pistorum, esse in mensa vestra, arbitrarer. Licèt tam praua voluntas õni supplicio digna videatur, quod nomen Domini

Epist. ad Calosiriũ

Reliquiæ Corporis Chri seruatæ.

polluat & id quod Christi sacramentũ vocat, prophano & sacrilego vsu inhonoret. Talia sint desertoribus veritatis sacramẽta, qualibus se dignos ipsi iudicârunt. Nos verò quibus hæc talia sũt, in quibus nostra exercetur fides, et Dei verbi cõsecratio est immutabilis, cum omni honestate, cultu & adoratione hæc reseruamus: & ad infirmorum vsum, sine quo viatico nullum migrare ex hac vita patimur, in honestissimis locis recondimus.

Nec illud reticebo, quòd eodem loco comminisceris, post Concilium demum Lateranense, tum primùm asseruandæ S. Eucharistiæ loca delecta, & recentia hac de re decreta Pontificum recentem & nouam rem demõstrare. Si ingenuum habes animum, vide quæ D. Clemens S. Petri discipulus de pastophorijs, in quæ iam tũ Apostolorũ seculo reliquiæ Christi corporis recõdebantur scribat. Et ex D. Chrysostomo idem allatũ audisti. Ergo tam facile his credas quam Nauclero & alijs inferioribus historicis credidisti. Recentia

Constit. Apostol. libr. 8. cap: 20. Pastophoria pro reliquis Christi corporis seculo Apostolorum constituta.

verò hac de re edita summorum Pont. esse, noli confingere. Id enim quod aliqua quæ hominibus semper decursu temporis obrepit, negligentia, malè custoditur, pastorũ cura & vigilãtia restauratur. vt noua diligentia, antiqua & male seruata Ecclesiæ decreta, cõmõstret.

Iam quæ de Salue Regina, tintinnabulis, lucernis, processionib9, & nescio quali theatrica vt tu vocas põpa, alijsq́ S. Ecclesiæ ritibus (quos haud scio an ipsi etiam infideles Turcæ & Iudęi derideant) tanquam in aliqua scena pstringis: & proposito relicto ad ea quibus inter epulas oblectare auditorem, & ex sacrosanctis ceremonijs Christianæ pietatis materiam tibi facetiarum desumere, soles: talia sunt, vt ea, nullo responso digna iudicem. Honor tamen & summa in illam communem omniũ fidelium matrem & Dominam Dei genitricem virginem perpetuam, obseruantia, aliquid à me extorquebit, ne quod illi detrahis, tacitus præteream. Conuiciaris nos, Dei honorem ad creaturas, hancq́ omnibus Angelicis spiritibus

Honoribus Dei genitricis inuidet Volanus

bus eminentiorem heram nostrã, trãs ferre, cum tot elogijs & salutationibus Angelos ipsos imitati eam honoramus, beatumq; illum ventrẽ qui Christum Deum nostrum portauit, & vbera quæ Deus infans factus suxit, vocem extollentes cum illa muliere prædicamus, & humili corde eius pro nobis preces exposcimus. Quod tu impium, blasphemum, & idololatriæ vicio pollutum vocas. Et in nos quidẽ, totumq; orbem Christianum, & õnem Catholicam antiquitatem, calumniosa hæc est iniuria: (Nec enim vnq; cultum qui soli Deo est proprius, creaturis tribuimus) in ipsam verò parentem Domini nostri, fraus est & dolus iã ab õnibus hoc seculo deprehensus. Sicut enim ꝑ tot Hæreticos sathanæ astus ideò mortuos (ita enim Sãctos Dei vocatis) nõ esse precibus, vt pro nobis orent, compellandos confingit, vt sensim animam vnà cum corpore interire, vti iam Vilnæ factum probamus, doceat: ita & virgini gloriosissimæ hos honores q̃s meritò illi tribuit Ecclesia subtrahere

Luc. 1.

Luc. 11.

Calumnia est impudenda Catholicos Deo honorem propriũ ad creaturas transferre.

conatur, vt deinceps paulatim non esse illã Dei matrẽ, nec Deũ sed hominem tantùm nobis similem peperisse, hominibus quos alijs iã suis venenis infecit persuaderet. Quem scopum Sathanas iam etiam in quibusdam videtur attigisse. Vtrunq; certè in istis desertoribꝰ Ecclesiæ experti sumus. Et mortuos non extare ampliùs mentiuntur, & virgini sanctissimæ honorẽ progeniti veri Dei ipsamq; virginitatis gloriam subtrahũt. Per gradus enim quosdam, ad omnem impietatem & atheismum serpens iste serpendo progreditur, & per momẽta quædã influit, vt suũ ꝓpositũ scopũ cõsequat̃. At quãtò fraudes illius melius sũt nobis cognitæ, tantò cultus Dei genitricis maioris est nobis æstimandus, vt õnes honores qcunq; excellẽtissimæ & supra omnes purissimos illos spiritus, eminentissimæ creaturæ tribui possunt, & qui sũt illi ab Ecclesia constituti, non modo non sint deserendi sed etiam magis augendi. Cum summo tripudio, tubis prædicationum nostrarũ contra vos tam perniciosos fidei toti-

us Catholicæ hostes, illud etiam Ecclesiæ canticum, hoc vel maximè tempore insonabimus: Gaude Maria virgo cūctas Hæreses interemisti in vniuerso mūdo. Omnes Hæreses vel humanam vel diuinam in Christo naturam oppugnant, & huc semper collimant, ne Christum verum Deum verumq; hominem credamus. Hoc verò non potest vnq; nobis eripi, quamdiu in honoribus Deiparæ persistimus. Si Deum nobis & hominem genuisse illam, & ideò summū supra omnes Angelos gloriæ gradum consequutam, nobis vehementer suis orationibus prodesse confiteamur, nullius Hæresis tela timemus. Itaq; nullus hactenus inuentus est Hæreticus, & ab Ecclesia Dei profugus, qui se amicum honoribus huius Theotocæ præbuisset: nec vllus vnq; in Hæresim prolapsus est, qui hanc virginem & communem omnium fidelium Dominam cultu debito est veneratus. Luctatur certè & contendit serpens antiquus, vt in hāc Secundam Euam cum qua inimicitias habet, vt dicit scriptura, positas

Quāti refert in Dei genitricis laudibus persistere

Nullus Hæreticus amicum se honoribus Deiparæ præbuit.

Sathanæ pugna cū secunda Eua. Gen: 3.

& ex professo susceptas, Hæreticorum animos & odia suscitet: sed tandem caput eius conteritur. Nec tibi bellum, cũ illa, cui laudes & præconia piorum inuides, bene cedet Volane. Cũ illo enim videris cõspirâsse q insidiatur calcaneo eius: vt timendum tibi sit, nisi resipueris ne ad extremum contrito tuo capite, in interitum ruas sempiternum.

CAP. 9. Illud verò quod Ecclesiã Dei & nos omnes idololatriæ seu artolatriæ insimulas ferendum non est, nec vllo silentio tanta contumelia dissimulanda. Per mille quingentos annos, Ecclesia Dei Christum verum Deum in Eucharistia adorat: & tu nunc illam idololatriæ redarguis? Idola, inde vsq; ab ipso sus[illegible] tæ Christi fidei initio, demolita est: [illegible] tu illam cum idolis fornicari criminaris? Dic mihi, Iuliane, vt Augustini verbis vtar, & pro Iuliano, alloquar Volanũ, Dic mihi (inquam) quæ te peperit (in Romana enim Ecclesia natum te, & Baptismo ablutum scio) vtrum te casta, an verò meretrix in lucem quam deseruisti, per vterum gratiæ spiritualis enixa est: an vt

Matrẽ suam Volanus meretricem vocat sicut Iuliano obijcit D. August.

dogmata

dogmata Pelagiana, ego dico Berenga-riana, defēdas, coniugis Christi & matris tuæ viscera instinctu nefario, nō erroris, sed furoris infamas? Magno te certè parricidio, Volane, inquinas: & ingratus illam de tāto crimine accusas, quam reuereri debueras, etiam si minus eius ōnia dicta & facta percepisses. Ante sexcentos ānos Polonia Christum amplexa, vnà cum fidei tyrocinijs in tremēdis mysterijs, Missæq; Sacrificio corpus Christi, ipsumq; Christum adorare supplex cæpit: & tu hactenus vero illam Deo carere, & abominandæ artolatriæ seruire confingis? Obstupesco in demirando tuo in nos odio. Iam nos ab vna specie idololatriæ in imaginibus excusasti: & confessus es nos prototypa in illis, quod officij & religionis est, adorare: nunc rursus alteram nobis obijcis, quòd Christum in Eucharistia adorantes idololatræ simus. Aut ergo Christum, quem sub speciebus panis adoramus, idolum esse dicis, & verum Deum negas: aut Romanam Ecclesiam nil vnquam de vero Christo audiisse as-

Volanus Chrūm idolum esse putat cum nobis eius adorationem eripere vult.

ſeris: aut te alium afferre Christum, de quo nondum quicquam audieramus gloriaris. Si primum, Machometanus es: ſi ſecundum, Christianus non es. á quo enim hoc beneficium in Romana Eccleſia natus, accepiſſes? ſi tertiũ, Anathema es, Apoſtolica voce damnatus. alium enim prædicas præter illum, qui manifeſtatus eſt in carne, prædicatus ē gentibus, creditus eſt in mundo. Et ne te in primo condemnem, nec à ſecũdo excuſem: in tertio certè iure mihi conuincendus videris. Alium certè Christũ prædicatis, quàm qui à Beato Petro & ab Eccleſia Roma. prædicatus eſt: & in quem totus mundus credidit, quemq́ concordi ore per omnes orbis plagas prædicat: & qui his terris ante ſexcentos annos Poloniæ illuxit, & in quem potentiſſimus Lituaniæ Ducatus poſtea credidit. Ille enim, in quem credidimus, Miſſæ ſacrificium, veritatē Christi corporis in Euchariſtia, & hæc adorationis myſteria, cæteraq́ omnia, quibus nunc ſaluamur fidei dogmata vnà cũ ipſa fidei origine intulit. Veſter verò

Gal. 1. 1. Tim: 3

Volanus cum Hæreticis alium Chriſtum quàm eũ in quē mundus credidit prædicat.

quem

quem prædicatis, hæc omnia execratur, demolitur, deuastat. Illi itaque qui ante prædicatus est, contrarium se exhibens, alium se & inimicum nostro per vos declarat. Sed seducitis & seducti estis. Nostri huius veri imagine assumpta, in Angelum se lucis transfiguraue rat, lana & vellere Christi contectus lupus. qui nunc iam vellus agni deponit, & sicut per vos in sacramentis, nostrũ à quo deuictus est, Christum contemnit: ita per discipulos vestros apertè iam diuinitate illum exuit, vt seipse alium Christum & Deum constituat, ille, quem iam Racouitæ & Loscenses, qui totum mundum, vero Euangelij libro carere scribunt, expectant. dum docent nondum Christi Euangeliũ viguisse, sed eius veritatis lucem in hæc vltima secula reseruatam esse, nec vnquã promulgatum mundo fuisse: nec per mille ducentos annos ex quo Homousiani, vt illi vocant, hoc est, Arrij illius hostis diuinitatis Christi, expugnatores florere cœperunt, veritatem agnitam: sed quendam alium Regem prodigijs

1. Tess. 2. Hæreticorum Racouitarũ & Loscẽsiũ & inde Zuinglianorũ Chrũs qs & qualis sit.

& potentia externa insignem venturũ & promulgaturũ Euangeliũ orbemq́ subacturum esse, maledictum scilicet illum filium perditionis, q vocatur Antichristus. Huc tendit omnis conatus vester, vt Christum omni honore, & diuina adoratione exuatis, & alteri⁹ gloriam promouere iam his, nõ initijs, sed progressibus vestris, curetis. Omnes igitur neruos intẽdimus, vt is, qui à vobis omni cultu & adoratione in Eucharistia exutus est, & apertè à Ministris discipulisq́ vestris Loscensibus alijsq́ plurimis hic etiã Vilnæ blasphematur, vero q́ Deus esse negat à nobis honorib⁹ õnibus internis & externis, colatur. vt q̃d perfidia detrahit, feruor amorq́ in Dominum fidelium suppleat,

Processiones cum SS. Euchari: qd sibi velint

Processionum illarum, quas tu cõnuiciaris, & in quibus ora Christum canentium claudis, tantò feruentiùs celebrabimus conuentum, quantò vos illũ pertinacius Regi cœlorum, Dominoq́ gloriæ inuidetis. In quibus non solùm passionem Dominicam, mortemq́ ãnũciamus, donec veniat, non in alio nos

gloriari

gloriari, quàm in Cruce Domini nostri Iesu Christi, prædicantes: sed etiam de prostrata perfidia Berengariana, per õnes vrbis angulos, triumphos erigim9 & pro veritate Christi verborum, diuinitateq́ illius propugnanda, in acie stamus, pro hac diuinissimæ Eucharistiæ maiestate, extrema etiã ꝑpeti parati. Scimus enim diuinitatem Christi, quã extremis seculis Antichrũs, vt se Deum cõstituat, vehementius est impugnatur9, nulla magis Ecclesiæ confessione, cultuq́ stabiliri, nec in vllo sacramento adeò elucere declarariq́. Hic enim omnipotentiæ Christi immensa argumẽta agnoscimus, hîc tanquam verus Deus, naturas rerum, quas ex nihilo creauit, eadem potentia immutat: hîc vnũ & idem corpus, quod in sede patris collocauit, modo sacramentali nobis infinita sua potestate efficit & exhibet: hîc verè confitemur, quòd apud Deum, nullum sit impossibile verbum, vt Deus Christus sit, etiamsi nobis impossibilia dicat: hîc veritatem illius diuinam adoramus, & nulla maiora contra sen-

Veritas corporis Domini in Eucha. est murus & propugnacula diuinitatis Chri.

sum carnis nostræ diuinitatis eius agnoscendæ, habemus exercitia. Hunc itaque murum pro diuinitate eius tuenda contra vos opponimus, quo stante, sarta tecta nobis est spes nostra, quo ruente scimus ad diuinitatem Domini subuertendam, animum vos esse adiecturos: sicuti in progressu Hæresis vestræ iam ferè manibus cōtrectamus. Adeò nil habemus in fide Catholica, in quo illustriore modo, suam Christus diuinam omnipotentiam constitueret: & in quo nostra in eũ fides magis exerceatur, q̃dq́ue, à nobis gratitudinem maiorem exigat, & in quo plura solatia nostra, de quibus in fine libri sequentis aliquid dicemus, recondita sint. Tabescat ergo Hæreticus, ilia Apostatæ rumpantur: & illo processionis triũpho, veritas Christi, dicentis, Hoc est corpus meum, eiusq́ue omnipotentia celebretur. Nos verò vt hæc solatia Christi diuinitatis, dulcissimæq́ue illius nobiscum præsentiæ, nobis integra permaneant, plura etiam omnis adorationis & honoris interni externiq́ue, & anima & corpore, & totis

viribus saltantes coram Domino, exhibebimus augebimusq; officia (licèt sterilis & maledicta Michol, hoc est Hæresis quæ proprijs caret liberis & suffuratis tantùm alienisq; abutitur, simplicitate nostra offensa, irrideat ministerium nostrum) vt deijciẽtes nos, & risui infidelium exponentes, tantò gloriosiores appareamus, beneficiũ tam illustre obscurari nobis vestris cachinnis & scommatibus, non patientes. Itaq; Beatissimo orbis terrarum Pastori Vrbano, multas agimus etiam nunc gratias, & animæ illius bene precamur, q̃d nos illa instituta celebritate contra Berengarianos hæreticos armauerit, & tãtum beneficium nobis illustrauerit; proq; Christi diuinitate tuenda, hunc murum et pro cõseruanda, quæ ex sacramentarijs parta fuit victoria, hunc processionum arcum triumphalẽ erexerit. Alios etiam bene de Ecclesia Dei meritos, cẽsebimus, æternaq; illos memoria dignabimur, si quid ad augendum Chrõ in diuinissima Eucharistia cultum superogauerint, addiderintq; fideles stabularij

2. Reg. 6.

Vrbanus Sũm9 Pō Catholicos contra Berengarianos processionibus armauit.

Luc. 10.

bularij, & nostrorum vulnerum curatores. At confitemini, inquis, corpus illius sedere à dextris, & inde venturum iudicare viuos & mortuos: q̃ modo ergo sub speciebus panis esse illud & mãducari affirmatis? Quia vtrunq; Deus dixit, Volane, vtrunq; verum est. quomodo autem sit fides Deo dicente, nõ quærit, nec obedientia audientis discipuli interrogat. Simplici corde credimus, quòd ille dixit, qui non mentitur, nec fallit, & omnia potest Deus. Non offendimur, nec cum illis discipulis mobilibus, à Christo discedimus: sed cum B. Petro, licêt difficilia intellectu dicat, stabiles & fixi exclamamus. Quo ibimus à te, verba vitæ æternæ habes.

Sedere corpus eius à dextris profitemur: sed esse tam impotentem Christũ negamus: quin illud ipsum modo sacramentali & inuisibili dare nobis, & id quod dixit implere, & ex substantia panis efficere possit: agnoscimus veritatem, & omnipotentiam eius in vtroq; honoramus. Nec terrenis hæremus: nec humi defixas mentes, sicuti tu dicis

adoraturi corpus Christi gerimus: sed sursum corda, Dominusque nobiscum proclamantes, & altitudinem cælestiũ, tremendorũ, inuisibiliũ, & õnẽ terrenã naturam substantiamque excedentium mysteriorum, quæ mente & intuitu cordis spectantur, inculcamus: & nihilominus præsentem Dominum, non diuinitate solùm, qua cœlum implet & terram, sed & corpore, mirabili & abstruso modo, verum in natura nostra Emanuelem, in ijsdem adorãdis mysterijs docemus. Si nil Apostolorum fidem visibilis Christi præsentia, ad diuinitatis sublimiora & inuisibilia contemplanda præpediuit, sed potiùs plurimum iuuit, vt Deum visibiliter cognoscẽtes, in inuisibilium amorem raperentur: multò minus nobis impedimento est, inuisibilis eius præsẽtia, quominus in diuinã illius & sublimem maiestatem animis feramur: dicentes cum Thoma, Dominus noster & Deus noster. Nec enim illum terrenum aliquem Regem, sed Dominũ gloriæ, in cœlo et terra regnãtem, & tamen nobiscum manentem

Præsẽtia Chrĩ fidẽ nostram non impedit sed exercet.

confi-

confitemur. Expectamus autem illum de cælo visibilem, & omnibus bonis & malis conspicuũ, in summa maiestate ad iudicãdum venturum, quem nũc inuisibilem et in mysterio colimus: nec frustulo panis, vti tu cõuiciaris, sed corpori, eius diuinitati coniuncto, in quod substantia panis transmutata est, gloriã & adorationem tribuimus: tanquam salutis nostræ, & bonorum omnium auctori. Te verò conuiciantem frustulum panis nos adorare, illis D. Leonis verbis compellabo. In quibus tu ignorantiæ tenebris, & in quo hactenus desidiæ torpore iacuisti, vt ne auditu disceres, nec lectione cognosceres, quod in Ecclesia

Epist. 23. ad Cõstã. Dei omniũ ore tã consonum est vt nec ab infantium linguis, veritas corporis & sanguinis Christi inter cõmunis sacramenta fidei taceatur. Nec enim vllus est inter Catholicos, tam infirmi ingenij puer, nec vlla tam rudis anicula, quæ interrogata, non, se Christũ, corpusq́ Christi, & non panem inter mysteria adorare, respondeat. Sed nec more hæreticorum varios & diuersos Christos in deserto & angulis singularium opinio-

num

num & schiſmatum penetralibus de- monſtramus: Ecce hic Chriſtus, ecce illic: hoc enim in vos dictum eſt, qui diuerſos Chriſtos & ſibi contrarios aſ- ſertis, & tot diſcordijs Domini gregem diſtinetis, vt neſciant, cuinam ſit adhæ- rendum. Vt meritò hîc illa contra te D. Auguſtini vſurpanda ſit aurea ſẽtentia. Non inſultent (inquit) Hæretici per partes conciſi non ſe extollant qui dicunt Ecce hîc eſt Christus, ecce illic. Qui dicit, ecce hîc eſt ecce illic, ad partes inducit. Vnitatẽ pro miſit Deus Reges in vnum collecti ſunt, nõ per ſchiſmata disſipati ſunt. Quatuor hîc Vilnæ Chriſtos prædicatis vos vnitatis Eccleſiæ contẽptores, et veritatis ab v- na S. Eccleſia Romana acceptæ deſer- tores. Luterani clamãt: Ecce hîc apud nos eſt verus Chriſtus: Zuingliani ne- gant, ſed apud ſe potiùs illum eſſe con- tendunt. contra anabaptiſtæ affirmant & ſibi potiùs illum tribuũt: at rurſus reclamãt Antitrinitarij & in ſua cõmu- nione illum verum Chriſtum inueni- ri, cõfingũt. Et omnes hi in penetrali- bus hoc faciunt, prodire in apertum no lunt, omne iudicium Conciliorum, Epi

Hæretici in deſerto & pene- tralibus multos Chriſtos demon- ſtrãt.

scoporum, Ecclesiæq; Doctorum, virorum etiam grauiũ, et peritorum subterfugiunt. Omnes deniq; in deserto cõdemnatarum iam, & relictarum putridarumq; Hæresum, sua deliria fabricant. Nullam enim sectam & impiam de diuinis opinionem suscitant, quæ iã ante ab Ecclesia Dei execrationi diris q; omnibus deuota non fuisset, & à qua cautiores facti homines veluti à peste quadam, et barathro non transfugissẽt & ad eam à qua seducti discicuerant S. Ecclesiæ Romanæ societatem non rediissent. Adeò sicut vno relicto Deo & fabricato vitulo illi idolorum cultores non poterant prædicare: Hîc est Deus tuus, sed potiùs, Hi sunt Dii tui Israel: ita nec isti Romanæ Ecclesiæ vniusq; fidei desertores, prædicare vnam fidem & vnum Deum poterunt: sed potiùs ad plures fides & inde ad plures Deos miserum populum conuocant. Nos verò nõ in penetralibus nec in desertis: sed in Ecclesiæ per totũ orbem diffusæ communione, in Ciuitate super montem posita, quæ abscondi non potest:

Vna fide Catholica relicta nunq; vna sed semper plures occurrunt.

Exod. 32. & 3. Reg 12.

in Conciliorũ doctrina, in successione ab Apostolis continua Episcoporum, in Doctorum omnium seculorum praedicatione, in populorum & gentium omnium fidei obedientia, in regia illa via, quam omnes sancti nostri maiores ingressi sunt, Christum vnum, et eundẽ quem ab Apostolis recepimus, demonstramus. quem & si visibili modo absẽtem, nobiscum tamen esse in terris praesentem, non diuino tantùm illo modo, quo fuit & est semper cum patre: sed sicuti Emanuelẽ, nobiscum Deum, nostræq; naturæ participem, sacramentali etiam inuisibili, & corporali modo nobiscũ manẽtẽ, nosq; suo verissimo corpore pascentem, pro eo ac ipse edocuit confitemur. Quòd, quó nam pacto fiat, iam de existentiæ corporis Christi in Eucharistia modo, tuis responsuri dicemus.

CAP. 10. De modo existentiæ corporis Christi in Eucha

Ventum est ad quæstionem illam, in qua explicanda ego meam ignorantiã libenter confessus sum, timideq; nunc etiam fateor, ac cunctanter tantùm de ea dixi, quantùm fides Catholica permisit &

& q̃d à curiositatis quæ in tã abstrusis mysterijs ẽ temeraria, vicio, lõgiũs, ab-esset. Illud, q̃d dictũ est, fideli & Catholico ad Sophismata hæreticorum soluẽda sufficere arbitrabar. quam quidem quæstionẽ, tuis in primis verbis, ꝓpono Quomodo (inquis) Christus in sacramẽto carnem suam manducandam, & sanguinem suum bibendum nobis tradit, si quantum cœlum à terra distat, tantum & ille in substantia corporis sui à nobis dissitus est. Ad hanc ego vocem, cum D. Cyrillo tibi responsum esse volo. In sublimibus & diuinis rebus istud Quomodo, nec cogito nec profero. Iudaicum hoc est verbum, & extremi supplicij causa. Cum Deus operatur, nõ quæro, Quomodo: sed operis sui viã atq; sciẽtiã illi soli cõcedo. Et cũ Ambrosio: Et si non licet mihi scire, quemadmodum natus sit: non licet tamen nescire quòd natus sit: Seriem generationis ignoro: sed auctoritatem generationis agnosco. Itidem etiam ego dico, & si non licet mihi scire, quemadmodum Christi corpus in Eucharistia sit: non licet tamen nescire, dicente Domino, quòd sit. seriem operantis hæc mysteria ignoro: auctoritatem tamẽ dicẽtis, Hoc est corpus meũ

In Ioã lib. 4. cap. 13

Cum Deus operatur non quærendũ q̃modo.

agno-

agnosco. Et cum Augustino respõdeo. Credo Deum aliquid posse: quod ego fateor inuestigare me nõ posse: in talibus rebus, ratio facti, est potentia facientis. Et cũ Damasceno. Si nũc interrogas, quomodo panis fit corpus Christi? respondeo & ego tibi: spiritus S. obumbrat & hæc supra sermonem & intelligentiam operatur. Ego Volane Corpus Christi idem, quod à dextris Dei sedet, quod & traditum est in cruce, esse re præsẽs in Eucharistia, Deo dicenti, Hoc est corpus meum, credo, & adoratione confiteor, & silentio veneror: quo modo autẽ sit, nec quæro, nec scire etiam volo, ne me, vel infidelem dubitatio, vel curiositas faciat temerarium. Si scire non licet, quo modo sit: at scire licet, quòd sit. Facti tibi rationem afferam, potentiam Christi facientis: modum verò si dixero, insanire me prius, quàm, illum explicare posse, fatebor. Hîc cum Moyse, Deum loquẽtẽ accepto pane, Hoc est corpus meũ, audiens, ad credẽdum quidem & adorandum celer, ad loquendum autẽ tardioris & impeditioris factus sũ linguæ. Propius etiam ad hunc tremendorum

Epistola ad Volusianum.

Infidelem facit dubitatio curiositas temerarium.

Modus existentiæ corporis Christi in sacramento inexplicabilis

Exod. 4

Exod. 19

mysteriorum montem ascendere, com minatione mortis deterritus, non audeo: et os pollutum habens, cum Isaia
Esa: 6. ter sanctum hymnum, cum illis, qui & caput, & pedes diuinorum secretorum profundæq; scientiæ contegunt, cantare erubesco: sed cum Helia stans in o-
3 Reg. 19 stio speluncæ cænaculi, & audiens sibi lum auræ tenuis, diuinæ scilicet mitissimæ illius in Cœna vocis, Hoc est corpus meum, operio vultum meũ, igno-
Exod. 34 rantiæ meæ pallio: et cum Moise Deũ pertranseuntem, & diuina hæc mysteria operantem credens, festinus, curua-
Rom. 11. tus, pronus in terram, adoro: cumq; Apostolo exclamo: ô altitudo sapientiæ & sciẽtiæ Dei, quàm inuestigabiles viæ eius. Hæc est responsio mea. Tu verò huius quæstionis tam abstrusæ, facillimam inuenisti solutionem, cùm dicis: Non credo. Non enim potest esse idem Christi corpus, & in cœlo à dextris Dei & in Eucharistia. At dicitur, Volane, Hoc est corpus meum: & datur ad mãducandum fidelibus. Figuratum datur inquis, & quasi depictum, non re exi-

Volani solutio, in illa difficili quæstione de modo.

ſtens. Reale enim à dextris Dei eſt. ita tu dicis, vti mox ex tuis verbis apparebit, & omnem nodum facili via ſoluis. Nã hoc etiam Iudæo, & Turcæ, & cuiuis infideli, ſine omni moleſtia, perſuaſeris, vt vnum & idẽ corpus vnius Regis, & in Polonia eſſe, & in Lituania credat: ſed in vno loco viuum, in altero pictum intelliget. O magna myſteria Volani, in quibus ſuam exercet cum ſuis fidem. Hôcne eſt Deo ſupra ſenſum & rationem credere, & intellectũ in obſequium fidei redigere? Sed ne tua, tanquam malè forſitan à me intellecta, dicas: tuam hanc explicationem, differat ne aliquid ab eo, quod diximus, audiamus. Quomodo, Volane, corpus Chriſti in Euchariſtia manducetur, cùm ibi re ipſa non ſit, ſed in cœlo tantùm?

Non manducatur (inquis) Capharnaico illo more crudo apparenti & facinoroſo.

fateor non eſſe talem cum facinore & occiſione Chriſti manducationẽ. Qualis ergo eſt, dicito. Quamuis, (inquis) Chriſtus quo ad corpus, abſens eſt: quãuis tanto locorum interuallo, quanto cœlum à terra ſeparari videmus, à nobis diſiunctus ẽ

vere tamen manducandum se nobis exhibet vt simus caro de carne eius. Verè, inquis, Christus se nobis in Eucharistia manducandũ exhibet: sed quo modo manducatur, quod nõ est, & tantùm distat, quantùm cœlum à terra: Verè ne mãducâsti, Volane, si longè aspiciens positos cibos, nec ori adhibens, voluntate tantùm & desiderio manducasti: nequaquam certè manducâsti: Ita te verè manducâsse aliquis dixerit, sicut verè saciatum te senties, in vtroque est fictio, non veritas: imaginatio nõ satietas. Eodem modo, cum Christi corpus in Eucharistia manducari dicis, quod nõ est, sed tantùm à te distat, quantùm cœlum à terra: vana somnia narras, in quibus dormiens quidem comedis, sed euigilans, esuris, & eadem fame tabescis: vt recte propheticum illud in te cõueniat, Sicut somniat esuriens & comedit: cum autẽ fuerit expergefactus, vacua ẽ anima eius. Sed dicis ex Augustino. Panis iste non morsibus consumitur: sed interioris hominis quærit esuriem. credere in eũ ẽ mãducare At non de spiritali, & figurata illa manducatione corporis Christi, hîc loquimus

Nil verè manducatur quod non est.

Esa. 29.

mur. Talis enim, vti iam dictum est, per omnia cœlestia dona, quibus fruimur, vagatur incerta, & sensum illum mysticum, in quo sine fidei præiudicio, abundare quisque potest, cõsectatur: vt & credendo & operando, & amando, & voluntatem Dei faciẽdo, manducare nos & refici dicamur. Verùm iam ab hac manducatione tropica, prorsus es exclusus. nil enim ad hoc propositum attinet: quæ semper & sine sacramento, non in pane tãtùm & vino, sed & in carnibus, & in omni cibo, figurari potest, & mente concipi. Sacramentalem nos quæ est in Eucharistia, propter eos, qui iam credunt, imò & diligunt Christum instituta, vrgemus. In qua, non fide tantùm & dilectione, vti Chrysostomus, Hilarius, Cyrillus, & alij docuerũt, sed reipsa naturaliterque ac corporaliter, licèt inuisibiliter, corpus Christi re existens manducamus: & arcta, quadam coniunctione, & longè arctiori, quàm quæ per fidem & dilectionem est, illi coniungimur: tanquam mẽbra de mẽbro, & caro de carne eius. De qua &

Spiritualis mãducatio Christi corporis non est cum sacramẽtali confundenda.

Augustinus: Corpus Christi nō edamus tantum in sacramento, sed vsq; ad spiritus participationē. In hac ergo sacramētali mādicatione quærimus: q̄modo corpus Christi verè manducatur, cùm iuxta te, realiter in cœlo tantum sit? Hîc in omnes te partes vertis: nec, quid dicas, inueniens, tandem ne tacere videaris, ad illum infelicē portum refugis, à quo te ipsa mera contradictio repellit. In sacramento hoc, (inquis) sicut in reliquis ōnibus, res ipsæ internæ cœlestes cum signis externis visibilibus coniunctæ sunt: vt semper tamen, quod ad locorum attinet spacia, sint procul dissitæ & separatæ. Quo modo, obsecro, hæc cohærent? Corpus Christi est separatum à pane, & est coniunctum cum pane. Quomodo sit separatum, dicis, cùm te explicas: quantū cœlū distat à terra, tantū panis in Eucharistia à corpore Christi. At quo modo sit coniunctum, vt cum pane, vel in pane, vel sub pane manducari putetur, non dicis: ideò tibi cōtradicis, cùm, Est; &, Non est, dicis. Sed fortè aliquid est quod de ista coniunctione affers. Spiritus (inquis) S. vinculo res ipsæ tam procul

Volanus sibi contradicit.

cui disiunctæ, hoc est panis & corpus Christi, connectuntur & conglutinantur. Iuxta tuam ergo mentem Spiritus S. opera, corpus Christi cum pane ad mãducandum in Eucharistia coniungitur, quod iuxta locorum spacia, tam longè sicut cœlum à terra distat. Sed quæro: illud corpus, quod spiritus S. beneficio affertur in Eucharistia, & tam arctè cũ pane conglutinatur, vt tu dicis, est ne illud idem, quod sedet à dextris Dei, an aliud? Aliud fortè esse, non audebis asserere. Si porrò illud ipsum est cũ pane in Eucharistia, est ne reale, an imaginarium & figuratum? si reale: constat nostra sententia, corpus Christi in Eucharistia re ipsa esse. Si imaginarium, en illa eadem redeunt contradictionum commenta, Christi corpus quod in Eucharistia non sit, verè in Eucharistia manducari. An non egregiè fingentis & seducentis est, dicere, id in Eucharistia verè manducari, quod realiter non est? Veritatem verbis statuis: & nihil verum, sed phantasma obtrudis. Aut Christũ duo corpora habuisse, aliud verum, q̊d

Dilemma pungens sacramẽtarium.

Non põt verè manducari q̃d realiter non est.

ſedet à dextris Dei, aliud cum Manichæis phantaſticum, quod in Euchariſtia ſumitur, aſſeritis: aut ex talibus ſacramentis, nõ re ipſa conſtantẽ, ſed figuratam ſalutem & vitam conſequi vos ſatis eſſe putatis. Quid enim operatur medicina, quæ res aliqua non eſt? quomodo hæc comeſtio afferet vitam, quæ pro cibo, figuras, pro alimẽto vmbras, & phantaſmata obijcit? Nam quod dicis, rem totam in Euchariſtia eſſe, non corporalem, non viſibilem, ſed ſpiritalem: ideoq; ſpiritalem quoq; manducationem eſſe, ad eaſdem phantaſmatum reuolueris præſtigias. Nam nec nos viſibili modo, manducari Chriſti corpus dicimus: ſed inuiſibiliter in myſterio, reipſa tamẽ, reale & verum ſub ſpeciebus viſibilibus exhibitum. Tu cũ omnia in Euchariſtia ſpiritalia eſſe doces, aut realia & vera intelligas, neceſſe eſt. (quis enim vel Deum, vel Angelũ, vel animam, licet ſpiritalia ſint & inuiſibilia, & à ſenſibus corporis remota, nõ eſſe reipſa entia realia dixerit?) aut certè, vt ad eundem redeas circulum, omnia

Sicut figurata medicina ſanitatem non producit ita nec figuratũ Chrĩ corpus ſalutem.

Anima, Angelus, licèt ſint ſpiritus res tamẽ & entia realia ſũt.

nia

nia in Eucharistia spiritalia, hoc est ima ginaria & ficta asseres, quibus nō plus insit veritatis, quam Chimæræ illi, quā non produxit natura, sed effinxit imagi natio: vt & manducatio, & salus vitaq; quæ inde promittitur, vana quoq; sit & figurata: vt præstigijs & imposturis plena omnia relinquatis. Talia deser tores veritatis habeant sacramenta: no stra, licèt res cœlestes, inuisibiles & spi ritales habeant, veras tamen & reales nobis, vt & veram inde salutem, non figuratam, consequamur, exhibent. Quòd verò ad illa diuertis, in quibus nulla mihi tecum est controuersia, vt in Christo duas naturas probes: & illum verum Deum confitearis: & si parum ad rem spectabat, benè tamen accidit. Nā agnoscere te Dominum Iesū Christum esse vnum, cum Patre & spiritu S. Deum, dubitare ex hac tua in sacramē to opinione, cum B. Hilario poteram. Ita enim dicentem illum audisti. De veritate carnis & sanguinis (in Eucharistia) non est relictus ambigendi locus, nunc enī & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, & verè sanguis est. Et accepta

atq;

atq; hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat planè ijs verum nõ esse, qui Christum Iesum, verum esse Deum negant. Itaq; cùm tu veritatem corporis Christi ex Eucharistia tollis, contingere tibi posset, vt Christum Iesum, verum Deum esse negares, de cuius omnipotentia dubitas: quasi verum & idem, quod sedet a dextris Dei, ex panis substantia, efficere nobis corpus suum, cùm Deus sit, nõ posset. Confessionem quidem tuam de Christi diuinitate audio: sed fundamenta anabaptistis, ad eam negandam, fabricare te video. Non negamus, Volane, & nos in Christo distinctas naturas, imò & voluntates, nec humanam esse in diuinam conuersã dicimus: sed vtrasq; in vna psona subsistentes, Cõciliorũ magis & Ecclesiæ interpretatione, quàm vlla aperta, & expressa de vna hypostasi filij Dei & filij hominis, scriptura, edocti profitemur. quorum quidem Conciliorum, inquam, authoritatem, cùm in hoc quidem Chalcedonensi decreto honoras, in alijs verò insectaris, & proscin-

Sacramẽtarij ad negandã Christi diuinitatẽ fundamẽta Anabaptistis cõstruunt.

dis id mereris, ne vllum tibi ex his cõtra anabaptistas patrocinium præbeatur. Ex nudis illos scripturis expugnate: quos non, nisi scripturis, esse credendum, docuistis, frustraq; hæc iam Cõciliorum, cõtra eos arma assumitis, quæ ipsi superbè contemnitis, & pro arbitrio, vti in Niceno secundo, Lateranensi magno, & aliјs experimur, condemnatis. Ridendos vos potiùs Anabaptistis, quàm metuendos his armis exhibebitis. Facilè enim vobis opponent: Si Concilia vrgetis, auctoritatem eorum in aliјs inuiolatam seruate, vt meritò nullum vobis ad Patrum, Conciliorumq; patrocinia refugium relinquant. Pugnent secum ipsi Ecclesiæ desertores: & Volanus patrem suum Luterum in veritate & præsentia corporis Christi, & patruum suum Brentium in vbiqueitate, vt dicunt, oppugnet: ipsum verò õnes Luteranorum sectæ, & Brentiani, de sacramento, progenies verò Zuingliana, Anabaptistæ, de duabus in Christo naturis expugnet. Catholici, sicut Eutychem damnauimus:

Zuingliani contra suos Antitrinitarios frustra ad Conciliorum opẽ cõfugiũt.

Pugna inter se Hæreticorũ.

Euthychẽ & Brentium cõdemnant Hæreseos Catholi.

ita & Brentium execramur: medio gradimur veritatis tramite: & duas in Christo distinctas naturas nec confusas cōfitemur, & corpus Christi nō esse vbiq; sicut diuinam naturam, cui hoc est proprium, asserimus: sed voce ipsius Dei confirmati, illud sine naturalis loci mutatione sacramentaliter, secundum substantiæ panis conuersionem, idem ipsū q̄d sedet â dextris Dei sub visibilibus sacramēti speciebus in altari contineri, confitemur, modo singulari sacramentali, substantiali, & nullo humani ingenij acumine penetrabili. Non enim est
Luc. 1. impossibile apud Deum omne verbū & omnia quæcunq; voluit fecit in cælo & in terra. Ex qua sententia, nullo modo illud, quod tu asseris, consequitur, vt vbiq; Christi corpus locali & circūscriptiuo modo esse oporteat. Dicimus cum Augustino, Corpus in quo resurrexit in vno loco esse oportet, veritas autem eius vbiq; diffusa est. Quæ, rogo veritas? Quia ipse dixit, Hoc est corpus meum Hoc verum esse oportet, vt corpus eius nobis in Eucharistia reale sit, si verū

Christū

Christum & omnipotētem Deum credimus, non ideo tamen vbiq; illud esse, sicuti diuinitas eius est, dicimus: sed locali naturaliq; modo à dextris tantùm Dei considere credimus, sacramentali verò, abstruso & substantiali modo, esse illud ipsum in Eucharistia sentimus. In qua sententia & ipsius Christi diuinis verbis, & totius antiquitatis, Ecclesiæq; per totum orbem diffusæ, doctrina, vti iam audisti, confirmamur: fidei magis obedientiam sequuti, quàm rei tā abstrusæ, & soli Christo cognitæ, modum perscrutantes. Tu verò aliam ad huc, rei tam difficilis, solutionem quæris, quo pacto scilicet corpus Christi in Eucharistia, sine re ipsa extante præsētia māducetur. Sed quæ nam sit illa, audiamus. Non corporaliter, inquis, nec sensibus carnis comeditur, neq; in morem carnalis cibi dentibus premitur, sed fidelis animi contuitu percipitur. Sola enim fides est quæ per spiritum S. adiuta, & amore Christi Domini, & saluatoris sui inflammata, in cœlum subuolat: vitamq; ex corpore Christi pro nobis in morte tradito, & sanguine pro nobis effuso, sanctitatis & innocentiæ Christi verè particeps ineffabiliter percipit.

2 Cor. 10

Alia Vosani solutio de fide in cœlum volante.

 Videris

Videris ergo iam totum nodum soluis se cùm dicis: corpus Christi, quod in Eucharistia manducatur, est quidem in cælo tantùm: sed fides in cœlum penetrat & subuolat, vt ibi illud manducet. Placeret quidem tam facilis in re obscurissima solutio, sed duo me ab illa retrahunt, alterum, quod sacramentum Eucharistiæ à Christo institutum tollit (quamobrē enim ad illud accedit, cùm fide possit in cœlum volare Volanus, & ibi mãducare?) alterum, quòd res omninò pereat, & impostura ac phanthasma, vti priùs, relinquatur. Itaq; nolo cum rei tam preciosæ, & animæ meæ necessariæ Corporis scilicet Christi, iactura, tuum acumen probare Nolo pro Corpore Christi Chimœrã tuam (ad quam, per aliam quidem viã sed eodem propositi scopo deduceris) vanasq; vmbras tuas insectari. Si fides in cœlum ad mãducandum subuolat, fit ne hoc reipsa, an cogitatione sola? si reipsa: aliquid erit subsistẽs fides, & nõ accidens, animæq; virtus: sed Angelo comparabitur, quod dicere forsitã Vo

Solutio Volani ad imposturas & phantasmata reducitur.

lani Theologia admittet, vt virtutes, re ipsa et modo quodã spirituum cœlesti- um volare in cœlum dicat. Restat ergo vt imaginarius sit & sola cogitatione menteq; conceptus volatus iste, qui si- milem etiam & figuratam habebit mã ducationem, atq; ita ad easdẽ vmbras ventum est: rem autẽ & corpus Chri- sti amisimus. Si porrò dicas, animam ipsam in cœlum volare, vt ibi corpus Christi manducet: aberit ergo interim à corpore & aliquantũ (in ecstasi Py- thagorica) reditura rursus ad corpus, diuagabitur: imò iam Dei visione erit beata, fidemq; ipsam exuet: cùm fidei in cœlo iam nullus sit vsus, postquam illa videntur, quæ creduntur. Mandu- cabit ergo per fidem, sine fide: & bea- ta facta, rursus misera futura, in corpus ingredietur. Hæc sũt vestra somnia: ab illa scientiæ iactatione, & temeraria, in res tanti momenti tamq; abstrusas inge- stione, ad has fabulas decidistis. Quis enim tu es Volane, aut quomodo, cùm Laicus sis, statione tua deserta, ad hunc montem, in quo solus est Moyses, &

Volanus laicus in res se diui nas inge- rit sine vl la uoca- tione.

Exod. 19. & 29.

intra hæc septa, Sacerdotibus tantũ credita, quæ tibi nefas est, sub mortis comminatione transilire, penetrasti? Quomodo de diuinis mysterijs, sine vocatione Aaronica, sine missione, sine potestate, profano ore mutire etiam audes? Meritò ergo in hæc deliria, radijs diuinorum secretorum, quos sustinere profanus non poteras, repercussa, tua incidit loquacitas. sed & inconstantiæ & leuitatis pænas à se ipsa exigit. miror enim, quónam modo ad mutãdas sententias, tam versatile habeas ingenium. Paulò antè per Spiritus S. ministerium portari in Eucharistia corpus Christi, & illam cum signis eius coniunctionẽ operari docuisti: nũc verò tui oblitus, fidem in cœlum ad illud manducandũ subuolare affirmas. vt habeas scilicet, & ascensum & descensum: & nunc ad has, nunc ad illas scalas, in fugienda Catholica veritate, receptum tibi relinquas. Illud verò te tãtò grauius premit, quod & antè confessus es, & nunc iterum repetis: Sacramentum ex duabus constare partibus, eiusq; integritatem

Hebr. 5. Ioan. 21.

varietas sententiarum in Volano.

constitui, ex spiritali, scilicet, cœlestiq; dono, & externo elemento: vt Eucharistia ex pane & vino, & corpore Christi ac sanguine, tanquam partibus, ad integrum sacramentum constituendũ spectantibus, constet. Vide igitur quomodo te irretias. Partes, quæ ad aliq̃d integrum spectãt, simul esse & eodem in loco oportet (licet spiritalia non sint, localiter, vt ita dicam, nec secundum circumscriptionem loci) Si enim locis sunt dissitæ partes, quomodo perfectũ aliquid & integrum constituent? Nam anima in cœlo, corpore verò existente in terra, nequaquam verus homo cõstituitur. si panis est in vestra mensa, & Christi corpus in cœlo, vnã partẽ iuxta te S. Eucharistiæ habetis, integrã verò nequaquã. Aut si spiritale, hoc est non reale, sed imaginarium & figuratũ habetis corpus, quomodo integrum erit mysterium, cuius vna pars est depicta, altera realis. Si animæ humanæ pictum quoddam corpus & figuratum iungeretur, posset ne verus homo dici? Talis est vestra sapientia, quæ relicto

Partes ad aliquid integrum spectantes, simul esse oportet.

Ecclesiæ sensu, cùm sui admirationem quærit, risum potiùs mouet. Nec verò nos docemus Corpus Christi in Eucharistia esse vt in loco, per dimẽsiones partium, & aeris circumscriptionem. nam Christi corpus post resurrectionem in medio Apostolorum, in illo cænaculi loco stetisse fides docet: à loci verò & aeris partiũq; dimẽsionib9, depẽdisse qs sanus dicet, qui p ianuas clausas, sepulchriq; sigilla hoc ipsum Christi corpus penetrasse credit? Posteaquã in rationibus, tã infirmis, sicuti apparuit, quibus modum existentiæ Corporis Christi, seu manducationẽ illius veram in Eucharistia probaret, laborauit: supererat vt sua figmenta aliqua auctoritate firmaret. & magnam quidem esse õniq; exceptione maiorẽ oportebit: vt tanta deliria & somnia phãtasmataq; ingerẽti credañ, & quæ nã sit tãdẽ illa videam9. Nec verò hæc noua (inquit) & Zuingliana aut Berengariana, sicut tu criminaris (me compellat) sententia est, sed puriore illo post Apostolorum tempora seculo, vnanimi omnium consensu, recẽta & approbata. Hanc autem tanquam veterẽ & Apostolicã

Bertram9 vixit circa an 880 sub Carolo Crasso

licam, per manusq́ ab omnibus antiquis patribus traditam, Bertramus ille presbyter & Monachus vir, & vitæ integritate, & diuinarum literarum scietia clarissimus, propugnandam sibi susceperat. Vsurpare hic mihi illud Augustini cōtra te licet. Tantum ne (inquit) apud te possunt Pelagius & Cœlestius? Ego dico Bertramus: vt à solis ortu vsq; ad occasum, tot & tātos Catholicæ fidei Doctores & defensores antiquos, & nostræ ætati contiguos dormientes & manentes deserere audeas? Putabam illum ex Apostolicis viris, vel illis, quos solos patrum nomine dignatur, aliquid in medium allaturum. Ad traditiones, & ipsum Bertramum, cuius genus, & parentes Monachos, nuper, tot proscidisti conuicijs: res tua, Volane, redijt? in eo omne præsidiū tuæ causæ collocâsti: non fauit tibi vllū aliud seculū nec alius orthodoxus & nō suspectus author à q̄ traditionis fidē peteres, nisi hūc obscurū, leuē & de Hæresi illa quā suscitauit Berēgarius suspectū inuenisses? sed qd tibi, Volane, cū traditionibus qui ex solo puro verbo scripto, probari ōnia debere & mōstra

Contra Iulianum Pelag. lib 1 cap. 2

ri doces, & cum tuis clamitas? sed in hoc vestra leuitas vtcunque ferenda est: at in eo quomodo illam patiemur? Ad vnum Bertramum reducta est Ecclesiæ traditio? omnium nationum spes, & doctrinæ salutaris depositum, in vnius hominis fide consedit? Huius patrocinium quæris, cuius vel leuitas vel in scribendo inconsiderantia insanias Berengarij suscitauit? An non meritò, cùm paulò antè vixerit, ipsius pater à quibusdam dictus est? sed fueritne ille in illa hæresi obstinatus, quam postea fideles traditionis Apostolicæ custodes Lanfrancus Cauruariensis, Adelmanus Brixiensis, et Hugo Linconiensis, Episcopi oppugnarunt, in tribusque sequentibus Concilijs Romano, Turonensi, Vercellensi, patres condemnârunt, nil ad rē nostrā pertinet. Illud certò constat, Bertramum, tuam hanc opinionem, nūquam docuisse, & de præsentia reali Christi corporis in Eucharistia quædā dixisse Catholicæ sententiæ idonea. Vbi enim dicat, fidem nostram in cœlum volare vel Spiritum S. ad nos corpus Christi

Ad traditiones prouocat Volanus quas contemnere cum suis didicit.

Bertramus pater Berengarij a quibusdā vocatus ē.

Bertramus non fauet opinioni Volani.

Christi, vt cum pane sit, deferre, nilq; reale in Eucharistia esse, vti tu doces, nō invenio, nec tu ipse ex eius mente proferre quicq; simile potes. Exponi sensibus negat corpus Christi in sacramento: quod & nos fatemur, mysteriumq; in speciebꝰ agnoscimus: re ipsa autem in Eucharistia corpus Christi omninò non esse, nusquam dicit, imò contrariū quiddam, quod tu subterfugis nec producis, affert. Nō enim, (inquit Bertramꝰ) putamus vllum fidelium dubitare, panem illum fuisse Christi corpus effectum, quod discipulis donans, dicit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: sed neq; calicē dubitare, sanguinem Christi continere, de quo idem ait. Hic est calix nouum testamētum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Et ne illum significatione tantū et figura vocari corpus Chri & effici suspiceris docuisse, audi qd de substātiæ panis, & vini mutatione dicat, cū infert: Tūc intelligetis (inquit) q̄d nō sicut infideles arbitrātur, carnē meā a credētibꝰ comedendā, sed verè per mysteriū panē & vinū in corporis & sāguinis mei cōuersā substātiā à credētibus sumendā. Nec auctoritas ergo Bertrami, licèt tam suspecta & obscura

Bertramꝰ quædam dixit pro veritate corporis Christi in Euchar.

Bertramꝰ transsubstantiationem statuit.

ſcura imò damnata, nec ipſa ei s ſentē-tia, patrocinium vllum tuis figmentis afferre poteſt. Nos tibi veriùs tantam ſacroſanctorum Conciliorum, & tot orthodoxorū, quorum voces recēſui-mus, auctoritatem opponimus: qui ō-nes ex diuerſis orbis terræ plagis omni bus ſeculis, tuam hæreſim execrati ſūt, & illi Anathema dixerunt, ipſeq; eius auctor Berengarius toties dixit.

Probauimus ergo, quid tua, in rem t m inexplicabilem & abſtruſam, vbi de modo exiſtentiæ dicimus, valuerit induſtria. Aquilā certè præ te ferebas, cùm in tam alta myſteria, oculis aquilæ priuatus, quaſi in ſolis radios inuolares nunc verò noctuæ viſus tanti luminis ſplendore excæcatus, in maiores tene-bras incidit, vt tantò magis abſurda ex te audituri ſimus. Reſtat vt quó nam pacto Catholicam, & à me tibi expoſi-tam, exiſtentiæ Chriſti corporis in Eu-chariſtia, ſententiam oppugnes, audia-mus.

CAP. II In primis acerbè me reprehendis ed contraria & inter ſe diſſidentia vno &

cod

eodem ore protulisse tibi videar, cùm dixi: & ineffabilem esse hunc modũ & tamen aliquid de eo dici posse: nõ, q̃d curiositati satis esset, sed quo hæretica temeritas retundi queat. Acutã certè inuenisti reprehensionem: quasi verò responsuri Arrianis, quomodo Deus sit trinus & vnus, cum ineffabile hoc quidem dicimus, nihilominus trinum in persona, & vnum in essentia, esse respondemus, contraria iam dicamus, & id, quod est ineffabile & incomprehensibile, comprehendamus. Eodem modo quærentibus Zuinglianis, quomodo idem corpus, quod est in cœlo, sit in sacramento: cùm respondemus, in cœlo esse naturali et locali modo, in Eucharistia sacramentaliter & substantialiter: nec contraria certè dicimus, Volane, nec hoc, quod est incomprehensibile, nos cõprehendere iactamus. Sed vrgentibus & naturales rationes contra fidem opponentibus, hæreticis vel aliquibus nutantibus Catholicis, docemus, idem corpus Christi, & in dextera patris residere, & hic in sacramento

Vana reprehensio Volani.

reale exhiberi. In cœlo illud esse, tanquam in loco naturali, visibili modo & proprio: in Eucharistia verò esse sacramentaliter, hoc est, eo modo, quo fides in verbis Dei simplex, & non curiosum in eius operibus credendi obsequium, Deum posse hoc facere confidit: & sicut sacramenti huius singularis natura in mysterio, & sub speciebus requirit. non secũdum loci mutationem & visibiliter, sed substantialiter, hoc est, conuersione substantiæ panis, in Christi corporis substantiam: quam diuini verbi omnipotentia & benedictio, qua res & de nihilo creãtur, & in alias naturas commutantur, operatur. Ita respondemus & his, qui curiosa sectantur: & illis, qui figuras obtrudunt, & veritatem negant. non quòd ea responsione omnem modum illum abstrusum enodare cuperemus (egregiè enim insaniẽtis hoc esset,) sed vt hæretica expugnetur importunitas. Nam Catholici habemus ad ea mysteria intelligenda, etiam si omnia supra rationem dicantur, facilem viam. Credo Deo dicenti per Ec-

Sacramẽtaliter q̃d sit.

clesiam

clesiam, & omnia intelligo. Non est impossibile apud Deũ omne verbum. Te verò quod hæc responsio magis dubium, quam eras antè, reddiderit, quid mirum? cùm curiosus sis & fidem amiseris, nec Deum per Ecclesiam loqui credas. Hæc enim respõsio non ex meis somnijs, sicuti tua ex tuis, eruitur: sed ab Ecclesiæ sacrosanctisq; Cõcilijs desumpta est, cuius fortior est auctoritas, quàm vt illam, non modò tua loquacitas, sed nec totius mundi ingenium labefactare possit. Totus deniq; animus tuus studio contradicendi est deditus, & odio Ecclesiæ Romanæ exæstuat: ideoq; hac ei obfusa caligine syncerè & purè intueri veritatem, non potest: & in eisdem tenebris manens, videre se putans, non videt. Sed agè, quónam modo hoc, quod dixi, sacramentaliter, impugnes videamus. Impingere mihi volebas quod Sacramenta in genere signorum non ponerem. sed benè est, quod teipsum reprimis: et me rursus, quem loquutum contraria dixeras, eadem, qua accusaras, leuitate ex

cusas

cusas. Sacramenta esse quidem nos in ordine signorũ docemus, sed quæ nouæ legis sunt, hoc habere proprium, vt res, quas signant, contineant, & earum sint causa. quòd cùm tu reprehendere voluisses, & in causis sacramentorum internoscendis Catholicam doctrinã ignorares, rẽ tanti momenti alto sepelisti silentio: ad illa verò cõmenta, quæ iam pridem sunt profligata & disiecta, relaberis: signis scilicet sacramentorũ ita res cœlestes cohærere, vt tamen sẽper, quo ad locorũ spacia, sint separata quod idem est dicere, vt supra probauimus, corpus Christi coniungi pani & non coniungi, esse in Eucharistia & non esse. Baptismi verò natura, quantùm ab Eucharistia distet, suprà iam, cũ de Damasceni sententia libro priore ageretur, satis est dictum. Leuem sanè ac puerilem sacramentorum cognitionem habere te ostendis: in quorum dignoscendis causis, tam leuiter hallucinaris: & non modô, quid nouæ legis ab antiquis differant, non spectas: sed nec, quæ sit singulorum natura consi-

Sacramẽta sunt in genere signorum.

deras. Illud omni risu est dignum, quod asseris, remissionē peccatorum, aqua non contegi nec permisceri: vt nec corpus Christi sub specie panis esse probes. Quis enim sanus vnquam dixit, in aqua, & non in ipsa ablutione Baptismum perfici? aut, quis ignorat, aliam esse formam Baptismi, aliam Eucharistiæ? Nec enim dicitur, Hæc aqua, est remissio peccatorum: sicut dici audimus de pane, Hoc est corpus meum.

Baptismus nō in aqua sed in aquæ ablutione perficitur.

Venio ad alteram vocem, quam tu maledictis proscindis. Diximus, Corpus domini esse sub speciebus panis, substantiali quodam modo, seu substātialiter: orthodoxorū, qui substantias elementorum, in Christi corporis substantiam permutari docent, sententijs, Conciliorumq; decretis, vti probatum est, ac eorum verbis permoti. Si enim in substantiam corporis Christi, substātia panis conuertitur: consequitur, vt eo sit modo in Eucharistia, qui est substantiarum proprius. quod ita explicuimus. Sicut substantia cōmuni ōnium qui rerum naturas scrutantur, iudicio,

nec partium habet extensionem, nec loci circumscriptionem, nec vllis sensibꝰ exterioribus, sed solo intellectu percipitur, nec vllam etiam suscipit diuisionem, sed est in toto tota, & in qualibet parte tota: ita Christi Domini corpus, cùm sit sub speciebus visibilibus, ad instar substantiæ, non est in Eucharistia per extensionem, & dimensionem quãtitatis & partium, nec vti in loco, quo non circumscribitur, nec vllis sensibus exterioribus, sed sola fide, quæ est oculus intellectus, deprehenditur, nec, diuisis speciebus diuiditur: sed sub qualibet speciei parte, totum est & integrũ. Hæc ego, non ad probandam, (satis enim iam probata erat, vbi de transubstantiatione egimus) sed ad illustrandã rem attuleram. Nam fideli, vt hoc credat, ipsa verba domini ab Ecclesia interpretata sufficiunt. Curiosiùs autem indaganti, illa, quæ ad probationem attulimus ex Orthodoxis & Conciliorum doctrina, satis esse possunt. Hæretico verò, nil satis facit, cùm & fidei fecerit naufragium, & studio oppugnandæ

veritatis ſit excæcatus: vt mirum non ſit quòd in his tibi explicandis nullum operæ preciũ videar effeciſſe. Quæ enim dicta ſunt, vel priuatus bonarum artiũ præſidio, non intelligis: vel tam malè accipis, vt araneæ inſtar, ex optimis etiam floribus venena colligas. Quid enim ſimile ex illa mea declaratione colligi potuit ab eo, qui vel leuiter ſolidiores attigit diſciplinas, vt me Chriſti corpus in ſacramento omni quantitate & qualitatibus ſpoliare dixerit: cùm totum Chriſtum in ſacramento eſſe, tam diſertis verbis, ſim toties confeſſus: ſed modum exiſtendi ſubſtantialem prorſus & inuiſibilem docuerim. Non dicimus, Corpus Chriſti in ſacramento nudatum omnibus ſuis accidẽtibus: imò omnibus præditum eſſe, firmisſimè aſſerimus: ſed illa omnia, eſſe ibi ad inſtar ſubſtantiæ profitemur. Diſcernere rem ab exiſtendi modo, & facilè te eorum, quæ in me egesſiſti, tanto maledicendi impetu, pænitebit. Dicis enim, Giganteæ eſt audaciæ, cum natura & ipſo Deo opifice naturæ pugnare, & ſine omni

iudicio, quicquid in buccam venerit dicere stultitiamq; suam apud omnes venditare. Hæc est vestra sapientia, Volane, fateor, vt nil, quod cursus communis naturæ vetat, Deo dicenti credatis: & hæc est nostra stultitia, quòd ei etiam, quæ nobis impossibilia sunt, dicenti credamus: illiq; potiùs, quàm vllis sensibus nostris, intellectuiq; nostro, cui frena credendo ponimus, fidem habeamus. qua in re pro tuis maledictis, hisce te D. Hilarij verbis compellabo. Parcas mihi diuinorum secretorum grauis arbiter Parcas mihi imperito, & tantum de omnibus Deo, vt sunt ab eo dicta, credenti. Dominum, audio, & quia credo quæ scripta sunt, libenter me stultum vocari patiar. Sed recordari debes, Volane, Apostolum dixisse, quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. Sũma sapientia est, Deo, etiam cùm hominibus impossibilia & stulta videtur dicere, nil veriùs esse arbitrari: & illi potiùs, verbisq; eius, quàm intellectui nostro credere. Vestram verò sapientiam, nescio an non iure quisq; perfidiam dixerit. qui ea, quæ altiora sensibus vestris

Sapientia Hæreticorũ est nil supra vires naturæ Deo dicẽti credere.

3. de Trinit.

1. Cor: 1.

â Deo, qui Dominus est naturæ, dicũtur, fide indigna arbitramini Iulianã, certè et Porphyrianã vocẽ edidisti, sic aiẽs. Quæ naturæ cursus perpetua & immutabilia esse ostendit, aut quibus certam legem, vt aliter se habere nequeant, imposuit, hæc velle negare, & sensibus omnibus reclamãtibus contrarium stabilire, extremi cuiusdã stuporis est & dementiæ, & Giganteæ cuiusdam audaciæ, cum natura ipsa vel Deo potius naturæ opifice, pugnare. Hæc tua sũt verba, quibus omninò vis, ne plꝰ Deo, quàm sensibus nostris, & quàm generalia instituta naturæ permittant, credamus: & leges, quas ipse imposuit, immutare illũ posse negemus. Quæ vox, authorem vniuersitatis legibus creaturæ subijcit: omnia fidei nostræ fundamenta euertit: & omnes ferè articulos mysteriorum nostrorum, abnegat. An non sensus & natura partui virginis, resurrectiõi, Dei incarnationi reclamant? An naturæ leges, naturæ author consulit, possit ne supra vndas ambulare, & solidum corpus, per clausas ianuas inferre? Taceo tot antiquæ & nouæ legis miracula, in quibus natura Matt: 14. Ioan. 21.

suum Dominum agnoscit & cedit, miratur & obedit. Quae tu omnia non admittes, eo quod tuo ingenio tuisque sensibus non deprehendantur: & Deum immutare nil posse, quasi à natura, iura ipse acciperet, tibi persuasisti. Illud enim quam, rogo, rodolet fidem, aut quid integrum in nostris mysterijs relinquit quod dicis? Nos è contra dicimus ipsam corporis substantiam, non esse in sacramento, quando quidem omnibus suis proprietatibus sit vacua, per quas solas substantiae corporeae et sensibiles adesse cognoscuntur. Hoc enim idem est dicere, corpus Christi in sacramento ideo non esse, quod non videatur, non palpetur, non gustetur. Nam à nobis audisti, non sentire nos corpus Christi in sacramento suis proprietatibus & accidentibus, nudari: sed illa omninò sensibus esse abscondita, & instar substantiae, sub speciebus latere. Tu verò nisi palpes, gustes, videas, Deo dicenti non credis: vt illorũ similis sis, qui domino insultantes vociferati sunt, descendat de cruce, vt videamus & credamus. Si sanctum Thomam imitari constituisti, & dicis, Nisi vide

Ideo corpus Christi Zuingliani nõ esse in sacramẽto dicunt, quia illud oculis carnis nõ vident.

Matth. 14. Ioan. 11.

videro, non credam: non eundem ex pecta exitum, qui non eundem dubitandi habes modum. Ille quòd decem testibus collegis non credidit, grauem obiurgationem Domini sustinuit: tu, quòd per totum mundum, per mille quingentos annos, prædicatæ doctrinæ subtrahis fidem, æternam damnationem time. Ille, dubitabat quidem, sed se à consortio Apostolico non segregabat: tu non dubitas modò, sed & mendacij totam Ecclesiam arguis, à cuius communione recessisti. Illi, ex singulari beneficio, gratia: nobis, ex fidei obedientia, beatitudinis præbetur occasio: Beati, inquit, qui non viderunt, & crediderunt. Qua beatitudine spoliatum se cupit, qui Christo dicenti, nisi videat, & sensibus palpet, non credit. Nam quod dicis, vbi proprietates corporum non sint, ibi nec corpora esse: nec qualitates corporum ab ipsis corporalibus tolli posse, nisi simul deperea[n]t & corpora: toti fidei nostræ repugnat. quæ Christi corpus solidum & verum fuisse credit, etiam si proprietates

S. Thomã malè imitãtur volunt Zuingliani.

 tates

tes corporum in eo non sint deprehensæ. Quæ proprietas corporum, admittit, vt cùm sit natura graue, supra aquas ambulet: num ideò phantasticum & non verum corpus habuisse Christum, constituet Volanus? Quid dices, corporalium scrutator proprietatum & dimensionum, cùm audis Christum dicẽtem, apud Deum esse possibile, vt camelus per foramen acus transeat: quæ hoc corporum natura admittit: Deo tamen hoc difficile non esse, ipse Deus affirmat. Deniq; quid de Christi corpore statues, quod per ianuas clausas ingredi audis, nunquid nec corpus fuisse, nec solidum verúmq; ideò dices, q̃d proprietatibus corporum non vteretur, & parietes penetrauerit: qua de re audi, quid D. Hilarius dicat. Facti rationem (inquit,) quisquis es, cælestium rerũ scrutator expone. Erant discipuli inclusi, & secretò post passionem Domini congregati consederant. Dominus Thomæ fidem propositis conditionibus confirmaturus, assistit, palpandi corporis & contrectandi vulneris obtulit facultatem. & vtiq;, qui compunctus recognoscendus sit, necesse est vt corpus, in quo est compunctus, attulerit. Quare

Falso dicũt Zuingliani ibi corpus nõ esse vbi nõ sint õnes proprietates corporũ.

Matt. 14.

Luc. 18.

Ioan. 21.

3. de Trinitate.

Quæro ergo, per quas clausæ domus partes sese corporeus intulerit: diligenter enim Euãgelista expressit dicẽs. Venit ianuis clausis, & stetit in medio discipulorum suorũ. An non constructa parietum penetrãs, & solidam lignorum naturam impenetrabilẽ trãscurrit: stetit nanq; corporeus non simulatus nec fallax. (Et infra) Nil cedit ex solido, neq; per naturam suam aliquid tãquã lapsu insensibili, ligna & lapides admittit: corpus Domini à se non deficit, vt sese resumat ex nihilo, & vnde qui astitit, in medio est: Cedit ad hæc & sensus, & sermo, & extra rationem humanam veritas est facti. Idcirco ergo vt de natiuitate Domini fallimur & de ingressu Domini mentiamur: dicamus factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus: & cessante sensu nostro facti ipsius cesset effectus. Hæc ille

Ita tibi accidit, Volane, vt meritò tam grauiter sis à viro sancto Hilario reprehensus. Cessante enim tuo sensu, & proprietates Christi corporis, te in Sacramento non deprehendente, vis ipsam cessare veritatem: & Christum mendacem facere, cùm tui potius sensus, tibi imponant: & tuus intellectus fide Dei vacuus, persuadere sibi non potest, vt aliquid credat, quod non videt, nec capit vt dicat factum non esse, cuius facti

Sensus nostri fallũtur, Veritas Christi nõ fallit.

intelligentiam nō apprehendit. hoc q̄d est aliud, quàm infidelem esse, et nil à Iudæo & gētili differre? Audisses et Chrysostomum. Quomodo introiuit Christus ianuis clausis ad discipulos suos, & super mare ambulauit? quia ista supra nos sunt, & rationem de talibus miraculis reddere nō valemus, fide teneamus. Et Ambrosiū Habuit admirandi causam Thomas, cum videret clausis omnibus per inuia septa corporibus, inoffēsa compage corpus Christi insertum. & ideo mirum, quomodo se natura corporea per impenetrabile corpus infunderet, inuisibili aditu, visibili conspectu, tangi facilis, difficilis æstimari. Desine ergo tales nobis regulas præscribere, q̄bus totam subuertere in Deum fidem conaris: vt vbi sensibus Christi corpus non deprehenderimus, nec illud suis carere proprietatibus probauerimus, ibi illud non esse, etiamsi ipse Deus affirmet, cogitare audeamus. Extremæ hoc est impietatis & in Dei verbum contumeliæ. Verus ille est & potest ōnia quæcunq; vult: nos verò & sensus nostri erroribus obnoxij sunt, nec Dei admirabilium operum perscrutari modum valemus. Cedant ergo Dei veritati menda

Homil. 2. de symb. Apostolo.

Lib. 10. in Luc, cap. 24.

ces

ces: & fidei obedientiæ subijciant intellectum fideles.

Quòd autem nos, qui in hoc sacramento potentia Dei, ordinem naturæ, immutari prædicamus, non à miraculo potiùs sed à natura substãtiæ, quæ talia, vt tu dicis, absurda nõ admittit, probationem nostræ sententiæ quærere, confingis: cùm reprehendere nos iniquè velles tibi ρsi pugnantia protulisti. Fateris enim & paulò antè prædicare nos gigantea quadam, sicuti conuiciatus es, audacia, naturæ cursũ in hoc mysterio Dei imperio cedere: & tamen nunc negare nos in eo miraculum affirmas. An non hoc ipsum est miraculum aliquid supra naturæ ordinem fieri? Imò Volanæ, omnem probationem à miraculo & Dei potentia quæ supra naturam in his mysterijs operatur desumimus: à substantiæ autem proprietatibus declarationem tãtùm & illustrationem quãdam adhibemus. Quid aliud libro priore quàm hoc ipsum inculcatum est? cũ orthodoxis certè, summum in hoc sacramento miraculũ, & magna opera Domini

Pugnat ipse secũ aduersarius.

A potentia Dei & miraculo Catholici in Eucharistia suæ sententiæ probationẽ desumunt.

 mini

Psal. 110. mini exquisita in omnes voluntates e-ius prædicauimus. Disertè nunc etiam affirmamus, tria illa stupenda & summæ admirationis plena miracula, Christum verum Deum in hoc sacramento operari. Nã & hoc ipsum corpus Christi & in altari & in cœlo, licèt modo diuerso, existere: & substantiam elementorum, quæ non cernitur, in substantiã corporis & sanguinis Domini transire & mutari: & species panis & vini sine re subiecta cõsistere, certissima fide cõfitemur. Si tibi hæc non sunt miracula aut rationem istorũ tui ingenij acumine explica: aut si id non potes, ab his tã sublimibus Dei potentiæ operibꝰ, probationem nos tam abstrusorum mysteriorum desumere, agnosce. Sed tu cũ totus à corpore & sensibus dependeas in diuino mysterio miraculũ abnegas: cùm inquis: Sed quẽadmodum & natura ipsa commentis eorum refragatur, ita nec diuinæ scripturæ testimonia vel minimam alicuius miraculi suspitionẽ nobis exhibẽt. Quam tu diuinam scripturam voces, nescio, aliúdne tu habeas Euangelium

Tria miracula in Eucharistia.

dubitare

dubitare mihi licet. Nã in eo quod Catholica Ecclesia agnoscit, Dominum accepto pane dixisse: Hoc est corpus meum, lego, & credo verum esse quod dixit Dominus meus & Deus meus: miraculoseq; id ab eo factũ prædico. Tu verò quia huic Euangelio non credis, ideò miraculum non agnoscis. Credis ne prophetis? illi etiã in esca memoriam mirabilium suorũ Dominum fecisse contra te clamant: & de noui Testamenti in hac mensa miraculo, prædicunt. Et in manna quidem illo, q̃d vmbra fuit huius mysterij, Iudæus miraculum agnoscit, cùm se panem de cœlo recepisse prædicat, nec tu forsitan negas: ipsam verò veritatem rerum, et summũ nouæ legis beneficium, nihil supra naturæ vires vsitatumq; cibum attulisse, nulloque Dei miraculo exornatum esse contendes? Quid ad hanc cæcitatem & perfidiam addi posit, non inuenio. Non tenes memoria quanta miracula D. Augustinus in S. Eucharistia recensuit, cùm corpus Christi & integrum esse in cœlo & in altari sine consumpti-

Psal. 112.

Ioan. 6.

Omnes orthodoxi miraculũ in Eucharistia agnoscũt

one manducari, & singulis accipienti-
bus totum esse. Non veniunt tibi in mẽ
tem illę sanctorum patrum voces, qui
hic omnia naturæ leges superantia a-
gnoscunt: & alius quidem quomodo
seipsum poterat Christus in suis mani-
D. Augu. bus portare, admiratur, sed credit: alius
ipsi Christo miraculum in mutatione
Esychij naturæ panis, tanquam summo sacer-
in Leuit. doti, tribui in mysterio debere docet.
Alius panum multiplicationem in de-
serto cum diuinissima Eucharistia con-
ferens, inquit, Quomodo (dicebãt Iudæi)
Chrysost. potest hic nobis carnem suam dare ad man-
Hom. 45. ducandum? Nam si hoc inquiris cur non idẽ
in Ioan. in quinque panum miraculo dixisti, quomo-
do eos in tantum auxit? Sed surdo narra-
tur fabula. ad hunc portum appulit Vo
lanus, vt huic parti sui libelli egregiam
coronidem impositurus, illa duo insi-
Duo pro- gnia problemata vsurpauerit. Duas at
blemata tulit causas quæ illum ad abnegandam
Volani. Christi corporis in Eucharistia præsen-
tiã impulerunt. alteram quòd ibi pro-
prietates Christi corporis non sint, hoc
est, quòd nec videatur oculis corpore-

is nõ

is, nec à gustu tactu adoratuq; deprehẽ
datur, sensibusq; omnibus, vt ille dicit,
reclamantibus, hoc fieri prædicetur. al
teram, quod nec antiquæ, nec nouæ le
gis sacramenta vllis miraculis insignita
esse, sed simplicissima, hoc est, id quod
miraculis opponitur, nil supra naturæ
cursũ communemq; rerum ordinem
habentia sibi persuadeat. Ego verò hũc
etiam librum conclusurus ex his duo-
bus suis paradoxis Volanum, quãuis
forsitan, incautũ, à gẽtilissimo tamẽ athe
ismoq; vix vno gradu abesse, conuincã.
Si enim nostræ fidei mysteria nihil q̃d Atheismi & gentilismi Hæresis sacramentaria conuincitur.
communem rerũ ordinem naturalẽq;
cursum superet, habere & efficere exi-
stimentur: nil ab illis gentilium supersti
cionibus differunt. Machometica sa-
cra isti nouatores habebunt, nec rege-
nerari se ad illam, quæ est supra naturã
vitam, quam oculus non vidit & quæ
in cor hominis non ascendit statuent. 1. Cor: 2.
Si verò nil credendum est, quod non vi
deatur nec sẽsibus nostris conspicuum
& apparens sit, actum est de fide quæ
est argumẽtum non apparentium. Iam Hebr. 11.

nec spiritum nec Angelum esse nec animam, eo quòd oculis hisce non cernantur, credent. Deum ad extremùm non
Psal. 13. esse dicet impius in corde, vt meritò Saducæana hæc Theologia illam Domi
Matt: 22. ni obiurgationem audiat. Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei.

Vidisti itaque quemadmodum in hoc etiam libro, re ipsa existens Christi corporis præsentia nouis sit argumentis cõprobata: & vestra vobis sophismatum arma sint erepta. De adoratione etiam asseruatione & modo existentiæ Christi corporis in sacratissima Eucharistia tantùm loquuti sumus, quantùm è re vel tua, vel saltim eorum qui sunt, vt à tuis venenis caueãt, præmonendi, sufficere arbitrabamur. reliquum est vt ad tertiam propositi nostri partem descendamus.

LIBER TERTIVS

De malorum in Ecclesia cõmunione.



SIcut corporalis manducatio (quam potissimùm Libro superiore ad probãdum institutum nostrum, adhibuimus) ita & malorum communio, quam hoc libro persequi volumus, maximum est realis Christi corporis in sacramento præsentiæ argumentum. Si enim mali fideles polluta anima & spiritu impuro, attestãte Apostolo, Christi corpus in sacra synaxi, non diiudicantes, ad iudicium sibi mãducãt: spiritualisq́ illa mãducatio, q̃ solam statuunt Zuingliani, tribui eis non potest: necessariò erit ad alteram illam sacramentalẽ descendendũ: & inde concludendum, verè & re ipsa corpus Domini in Eucharistia esse, quod æquè boni & mali licèt fructu diuerso 1. Cor. 11.

sub

sub panis speciebus percipiunt? Quo argumento cum se vehementer premi sacramentarij & conuinci sentiunt: omnes neruos intendunt, vt malos Christi corporis participes esse nõ posse probent. In quo probando tantùm momenti ponunt, vt & hinc suam dependere victoriã arbitrentur: & in hoc vno defẽdẽdo in errores magis absurdos incidant, aliaq; lõgè manifestiora abnegare cogãtur. affirmare enim eos ad hoc tuendum oportet, malos nec ad Ecclesiam pertinere, nec fidem habere, nec vlla sacramẽta ecclesiæ sumere. Quod itidem accidit Volano, vt in suo contra me libello fateri sit coactus, malos laruam tantum Ecclesiæ habere, fide prorsus carere, & nihil præter nuda signa in sacramentis percipere. Ad quam impietatem, quæ clarissima S. scripturæ verba, orthodoxamq; doctrinam euertit, refutandam, hunc ordinem assumam.

Ordo libri Tercij

Inprimis, malos fideles, verè non nomine tantùm sed re ipsa Ecclesiæ huius militantis quæ etiam ex malis constat, iure & societate coniungi membraq; illius

illius licèt arida, & sterilia verè censeri: deinde fidem illos Catholicam qua ab infidelibus & Hæreticis secernuntur, quãuis mortuã, nec charitate viuidam habere, veraꝗ́ etiam & integra, tametsi sine fructu sacramenta percipere: postremò Christi Domini verum corpus in Eucharistia mãducare illos probabimus.

Cùm itaꝗ́ vel ipsum Ecclesiæ nomẽ doceat, à vocatis, nõ ab electis dici hãc in terris militantem Ecclesiam, ad quã multi Dei benignitate vocantur, pauci propter suam desidiam saluantur: nil tam à vero alienum, & sacris diuinisꝗ́ eloquijs contrarium, à totaꝗ́ orthodoxorum sententia discrepans dici potest, quàm bonos tãtùm et electos Ecclesiæ terminis comprehẽdi, nec in hac domo malos etiam esse admixtos. Vt ãtiqua prætereã, illos nimirũ õnes q ex Aegypto educti sũt: q̃s scriptura sacra populũ Dei, Regale sacerdotiũ, gentemꝗ́ sãctã vocat, in qua tot rebelles, & fornicatores, murmuratores detractores ꝗ́ describũtur, vnius Ecclesiæ nomine

CAP. 1.

Ecclesia a vocatis non ab electis dicitur.

limitibúsque comprehensos: ad nouã venio, ne hac in parte magis repurgatã legem perfectionis cuispiã existimet. Toties Seruator noster Ecclesiã, in terris degentem, Regni cœlorum nomine dignatur, & in eam bonos & malos
Matt. 13. pisces congregari, retibusq; & septis Euangelicæ fidei docet contineri qui non prius in littore, hoc est in consũmatione seculi, sint à se mutuò secernendi. At si putas, Andrea, Regni cœlorũ nomine, hoc loco supernam illam ciuitatẽ intelligi, planè tu quidem toto, vt aiũt, cœlo erras. illa enim repurgata ẽ. & solos habet bonos, sicut infernus solos malos: in terra verò, in ipsa Ecclesiæ area permiscẽtur cũ granis paleæ, do-
Matt. 3. nec ventilabrum accipiat, qui iudicaturus veniet. ad hoc cænaculum Ecclesiæ alio loco Dñus vocari iubet bonos & malos nuptiali veste indutos: & nudos
Matt. 22. vt simul discũbãt, & præparatis dapibus, Regijsq; illis cibis vescantur. Deniq; cùm Dominus dicit, Angelos ex suo Regno eiecturos scandala: quôd nam Regnum Dei sit scandalis infectũ:
facilis

facilis est coniectura. Cœlestis enim illa ciuitas purgata est, & nil recipit coinquinatum. Infideles verò extra Ecclesiæ castra, ipsam oppugnantes Ecclesiã Regni Cælorũ nomine vocare, non nisi desipientis esset. Præterea, cùm in eo dẽ Ecclesiæ dominicoq; agro, post seminatum triticum, inimicũ superseminasse zizania, ex ore Domini audimus, idem discimus: bonos in Ecclesia hac terrena, malis esse permixtos, & simul crescere vsq; ad messem. Prudentibus etiam & fatuis, cùm hoc ipsum Regnum, id est Ecclesiam, Dominns comparat: nil dubij relinquit, quominus malos etiam in Ecclesiæ Dei sinu contineri, fateamur. Et Apostolus magnam domum Ecclesiam vocans, vasa in ea dicit esse, alia aurea & argentea in honorem, alia lignea, & fictilia in contumeliam. Accipe & Augustini, cui te credere dicis, vt alios, in tam illustri veritate, prætermittam, doctrinam.

Apo. 13.

Matt. 13.

Matt. 25.

2 Tim. 2.

Firmissimè (inqt) tene & nullatenus dubites, aream Dei esse Catholicam Ecclesiam: & intra eam vsq; in finem seculi, frumento mixtas paleas contineri: hoc est bonis malos

De fide ad Petr. cap: 43.

sacramentorum cõmuniõe misceri: & in omni professione siue clericorum, siue Monachorum, siue laicorum, bonos esse simul & malos. (Et alibi) Inde etiam progrediuntur (Pelagiani) vt dicant, vitam iustorum in hoc seculo, nullum omninò habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi, hac mortalitate perfici vt sit omninò sine macula & ruga. quasi non sit Christi Ecclesia, quæ in toto orbe terrarum clamet ad Deum: Dimitte nobis debita nostra. Et aliis permultis locis, Pelagianos oppugnãs hãc ex professo declarat, multisq; probat argumẽtis confessionem: malos scilicet, Ecclesiæ Dei nomine censeri, & limitibus ambituq; eius comprehendi. Volanus verò Donatistarum nobis et Pelagianorũ Hæresim suscitaturus inquit. Nunquã ego homines malos & sceleratos Ecclesiæ nomine censebo, quamuis hoc se illi titulo venditent, & inter membra Ecclesiæ censeri velint. Nouit enim Dominus qui sui sint, neq; externam Ecclesiæ moratur laruam. O, maxime censor, si Catholicorum Doctorum ipsiusq; cui tantùm tribuis D. Augustini authoritatẽ minus reuereris: nunquid Christi ipsius vocẽ qui Dei sapientia est contemnes? Christus ipse Regni cœlorum nomine, & pisces

De Hæresib9 Hier. 88.

malos

malos, & fatuas virgines dignatur, & lampades etiam fidei communes cum prudentibus illis tribuit: tu verò nomē etiā illis Ecclesiæ subtrahis? Dominus Iudam & vnum ex duodecim Apostolum vocat, & Nicolaum, S. Lucas Diaconum appellat: et tu nomē etiam hoc illis Ecclesiæ dignitatis negabis? Nouit, inquis, Dominus qui sunt eius. At tu diuinorum secretorum grauis arbiter vnde nosti? quomodo qui sint electi & ad finem vsq; perseueraturi didicisti? An librum vitæ legisse te, & diuinā præstinationis scientiam profundamq; illam cognitionem, ipso B. Paulo superior, cōsequutum te gloriaris? vt non iā illa verba vsurpare te sit necesse: Quā incōprehensibilia iudicia eius & inuestigabiles viæ eius. Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Si ergo qui nam sint electi, & in libro vitæ Agni descripti scire non potes, quomodo bonos, quibus solis Ecclesiæ nomen tribuis internosces? An etiam tibi intimas hominum mentes cordaq; patere putas? Si in cōsiliū à Deo adhibitus es & q sint præsciti & præde

Rom. 11.
Apoc. 21.

stinati didicisti: tum demum vbi sit talis tua Ecclesia demõstrabis. Quòd si hoc dicere non potes, fiet, vt cum qui sint boni ignores, nec vbi sit Ecclesia scire possis: atq; ita nec vbi veritas sit, sine columna & firmamento veritatis cognosces. Digna certê tanta elatione sententia: vt ille ab Ecclesiæ cognitione, speq; ipsa salutis suæ, quam extra illius consortium cõsequi non possit, excideret, qui in ea malos, quasi ipse cum suis esset purgatissimus, contempsit. Audi ergo grauiter te, & acriùs quam ego hactenus feci, obiurgantem, tuamq; hanc execrantem sententiam D. Augustinũ

Qui ex bonis tãtum constantem Ecclesiã dicit vbi sit Ecclesia ignorat.

1 Tim. 3

Aufus est (inquit) Parmenianus (dicamus nos Volanus) etiam illud Hieremiæ (quid paleis ad triticum) ponere, vnde persuaderet cœteris hominibus, communionem Donatistarum (dicamus nos Zuinglianorum) non solum Ecclesiam veram esse, sed etiam talem iam hoc tempore, qualis post vltimã vẽtilationem Ecclesia sãcta futura est. cui sacrilegæ præsumptioni, et nefandæ elationi quid addi possit, ignoro.

Cõtra Epist. parmenia in libro 3. cap. 2.

Hier. 23.

Sacrilegam præsumptionem illius, & nefandam elatiõnẽ vocat, qui has Donatistarum sepultas sordes suscitaret, et

apud solos Zuinglianos, non Ecclesiã modò esse, sed ex solis bonis scilicet & electis tãtùm cõstare, affirmaret. Quo quid aliud dicis, quàm purgatos esse vos, coramq́ Deo iustos & sãctos, nec habere vllas admixtas paleas, nec iudicio iam venturo indigere, nec ruinã vllam, casumq́ Petri etiã & Dauidis, Salomonisq́ pertimescere, et ventilationẽ iam non esse subituros, elatè nimis gloriaris. A timore ergo & tremore, cum quo, quemlibet salutem suam operari debere, iubet Apostolus, prorsus liberi estis? O iactantiam non ferendam. Quis etiam sanctorum, tam securus fuit, vt non cum Regio propheta clamaret. Confige Domine timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui. Restant & alia plurima, permixtæ ex bonis & malis Ecclesiæ, apud Augustinum testimonia, quibus recensendis supersedebo, si hoc vnum attulero, Dicant (inquit) cui sancto secundum salutem spiritalem obfuerit, vel in sacerdotibus, vel inter populum constituto, malus aut maculatus sacerdos? Vbi erat Moises & Aaron, ibi murmuratores sacrilegi, quos

Ioan. 18.
2 Reg. 11.
3 Reg. 11.
Matt. 2
Phil. 2
Psal. 118
Cont. Ep. Parmen: lib. 2 cap. 7.

Deus à facie sua semper perdere minabatur. Vbi erat Caiphas & cæteri tales, ibi Zacharias, ibi Simeon & cæteri boni: vbi Saul, vbi Dauid, vbi Hieremias, vbi Esaias, vbi Ezechiel, ibi sacerdotes mali & populi mali. sed sarcinam suam vnusquisque portabat.

Non his tãtùm sententijs, sed integris etiam libris, hãc D. Augustinus, tanquam impiã & superbã hæresim impugnauit.

CAP. 2

Ecclesia non est inuisibilis.

Sed dicturus es forsitan, Ecclesiam in terris inuisibilem esse, nec vllis sensibus externis internosci, sed totam spiritalem, à sensibusque nostris remotam. At hoc magis est ab omni Catholica doctrina, ipsaque ratione alienum. Quis enim vnquam extra corpora hîc in terris, Ecclesiam est imaginatus? quæ certè cùm videantur & palpentur, visibilẽ esse Ecclesiam, & sensibus expositam fateri oportet. Quis denique in terris hũc magistrum agnoscat, quem se nec videre, nec audire, vt aliqd ab eo discat, confitetur? Ecclesia est omnium, qui ex auditu fidẽ habent, magistra, veritatis columna, & firmamentum: à qua Apostolus, non nos tantùm, qui filij eius in terris sumus, sed Angelos etiam

Ecclesia in terris cũ extra corpora non sit, visibilis est.

Ecclesia cum magistra fidei sit: sensibus pateat necesse est.

1 Tim. 3

quædam percipere mysteria dicit. Eã ergo magistram agnosces, quam nec audis, nec vides? hoc nihil est aliud, quàm fateri, omni te destitutum esse veritate, & fide: quam per sensus & præcipuè auditum (fides enim ex auditu est) Deus infundit. Ad extremum, cùm audire te Christus Ecclesiam iubeat, quã nisi audieris, ethnicum te & publicanũ haberi vult: si eius à te voces abscondit, & ne eam videas & audias, facit: quo æquitatis iure pœnas à te inobedientiæ exiget? Prodeat itaq; cõtra te, et ex alijs rursus scripturis te conuincat D. Augustinus. Habetis (inquit) Ecclesiam vbiq; diffundi & crescere vsq; ad messem, habetis ciuitatem, de qua, qui eam condidit, ait, Non potest ciuitas abscondi super montem constituta. Ipsa est ergo, quæ non in aliqua parte terrarum, sed vbique notissima est. (Et alibi) In sole posuit tabernaculum, id est in manifesto. Tabernaculum eius, caro eius: tabernaculum eius, Ecclesia eius in sole posita est, non in nocte, sed in die. (Et infra) Quid amplius dicturus sum, quam cæcos, qui tam magnum montem non vident, qui contra lucernam in candelabro positam, oculos claudunt. (Et alibi) In omnem terram exiuit sonus eorum, & in

Ephes. 3

Rom. 10.

Matt. 18

De vnitate Ecclæ. cap. 20

In Epist. Ioan. Tracta. 2

 fines

fines orbis terræ verba eorum. Hinc fit vt Ecclesia vera neminem lateat. vnde est illud, quod in Euangelio ipse dicit: Non potest ciuitas abscondi super montem constituta. Ideo in eodem Psalmo connectitur. In sole posuit tabernaculum suum, id est in manifestatione. Et aliis per multis libris, omnibus notam & visibilem sensibusq; etiam corporis subiectam, esse veram Ecclesiam per totum orbem diffusam, docet. Non quòd omnia eius membra ab vno videri possint: sed quòd capita eius Pontifices, Episcopi, sacerdotes, Concilia, partesq; aliquæ, quæ eandem per totum orbem fidem profitentur, videantur audianturq;. Vt nec sub Heliæ illa persecutionum tempora obscura, & non omnibus nota esse potuerit. Nam quod diuinus ille Helias, de quibusdã priuatis septem millibus ignorauerit, hoc ad manifestationem Ecclesiæ non pertinet, vt aliqui priuati & occulti Dei cultores, qui nunc etiam in medio infidelium versantur, internoscantur: sed cognitio illius magis à capitibus præcipuisq; Ecclesiæ Pastoribus, Doctoribusq; dependet, qui cum lux mundi à

Cont: literat Petiliani lib: 2 cap: 32

3 Reg: 19

Subtempora Heliæ nõ fuit ignota Ecclesia.

Domino vocentur, & solis instar, omnium oculos suæ doctrinæ vitæq; radiis perstringant: nunquam occulti esse possunt, quo minus ab ōnibus cognoscantur, audiantur, & spectentur. Quare tametsi in illis decem tribubus, quæ se à templo, et cultu diuinitus constituto, ab vnitateq; & obedientia summi sacerdotis, vnà cum Rege suo segregauerant, ac ea de causa, à facie Domini proiectæ erant, aliqui ad Ecclesiam pertinentes, in illis turbis persequutionum laterēt: Helias tamē fuit non Regibus tantùm, sed alijs etiam omnibus notissimus, tantiq; eius est authoritas æstimata, vt ipse Conciliū, in quo octingētos quinquaginta prophetas Hæreticorū & schismaticorum, condemnauit, cogere potuerit. Atq; ita vera Ecclesia, cuius præco fuit Helias, & quæ in Iudæa, Hierosolimisq; sacerdotij & totius veræ doctrinæ cathedra, floruit, illoq; etiam tempore fuit illustris, nemini qui eā audire, & salutem in eius communione consequi volebat, potuit esse, tum etiam sub Helia, incognita. Quamuis

3 Reg: 12.

autem

Credimꝰ Ecclesiã nõ quod uisibilis non sit sed quia per eam Deus inuisibilis loquitur.

autem credantur, non ea quæ uidẽtur, sed ea quæ nostros omnes sensus refugiũt: credimus tamen Ecclesiã, non q̃d ipsa non sit visibilis sed quòd per eam nobis Deus inuisibilis loquatur: & gubernatio diuina quæ spiritus S. fit beneficio, per eã exerceatur: ipsiusq́; veritatis ac fidei certitudo nobis patefiat: in illiꝰ deniq́; materno gremio, salus peccatorumq́; remissio nobis donetur. Quã etiã nec occidere nec aberrare vnquã posse, firmissimè credimus & confitemur. Quæ omnia cùm sint diuina & cælestia, certa fide à nobis, non sensu aliquo apprehenduntur: vt Ecclesiã visibilem esse sciamus, à spiritu verò S. regi, nec illã vlli errori, in fidei morumq́; tradenda regula, subiacere posse credamus. Noli ergo existimare Ecclesiam Dei insẽsibilẽ esse, extraq́; ipsa corpora vbi nec audiri possit, latere. Hac enim tam puerili doctrina, omnem veritatis cognitionem tibimetipsi sustulisti, & quòd nil de Deo piè sentire valeas, te ipsum condemnasti. quòd meritò forsitan, contemptor, eius quæ te genuit &

quam ingratus impugnas, Ecclesiæ, su stines. vt nil in te acerbius statui possit, quàm quod tu ipse, tali, de Ecclesia, sententia decreuisti. Sancta autem & immaculata & sine ruga dicitur Ecclesia, non ideò quòd ex solis sanctis bonis & electis constet: sed quòd hunc sanctitatis & iusticiæ scopum & finem habeat propositum: ad quem omnes, sanctissimis, & ab omni labe repurgatis institutis, & præceptis, præparat & dirigit. Quem finem tametsi non in omnibus qui septis eius includuntur, nec statim sed certis crescentium profectuum interuallis cõsequitur; extra tamen illam quæ sola est totius sanctitatis officina nemo, intra verò etiam impius prædicationibus eius, & diuinis sacramentis irrigatus, iustus & sanctus, magisq; iustus & magis sanctus, esse potest. Qua de re ipsius etiam D. Augustini interpretationem accipe. Vbicunq; (inquit) in his libris (De baptismo scilicet cõtra Donatistas) commemoraui Ecclesiã non habentem maculam neq; rugam: non sic accipiendum est, quasi iam sit, sed quæ præpa- Retract. lib. 2 cap. 18.

ratur vt sit, quando apparebit etiam gloriosa. Nunc propter quasdam ignorantias, & infirmitates membrorum suorum, habet vnde quotidie tota dicat, Dimitte nobis debita nostra.

CAP. 3 Colos: 2

Cùm verò omnia membra, ad vnũ Ecclesiæ corpus spectãtia, à capite, iuxta Apostolum, per nexus & coniunctiones descendant: aliquid inesse mẽbris oportet, quod capitis sit, & per q̃d gubernatio illa motusq́ quorundam veluti neruorum, ab ipso capite, in mẽbra deriuantur: propterea malos aliq̃d in se habere, quod ipsius Christi sit, statuere oportet: Fidem nempe quæ Christi est cæleste, & diuinum donum, ipso Apostolo teste. Quomodò enim quisquam ad tam stupenda, & humanæ rationi ardua, quæ nostra prædicat fides, permoueretur, vt firmum illis credendi assensum, suo intellectu posthabito, præbeat, prorsusq́ fidei supra quam ratio comprehendat, obediat, nisi dono spiritus S. & singulari quodam talento cælesti, præueniretur dotareturq́? Probemus itaq́ in malis ociosam illam, & sine bonis operibus emortuam esse fidem

Mali christo fide cohærent

Philip: 1

Fides Dei est donũ.

Mali habent ociosam & mortuã fidem.

dem

dem, Nil tam facilè ex sacris oraculis probatur. Inprimis Dominus ipse de quibusdam prædicit, qui sint illum in die illa iudicij suprema cōpellaturi his ce verbis. Domine Domine nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus & virtutes multas fecimus. Quibus responsurum se comminatur. Nunquam noui vos. discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Generaleq; illud Dominus edictū promulgat. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in Regnum cœlorū. Matt: 7
Quis igitur Christum esse suum Dominum & creatorem verumq; Deum & redemptorem,(vt non frustra bis repetitum nomen Domini videatur) confitetur hîc etiam in terris? An infideles & Turcæ et Iudæi? At isti non tantùm Dominum Iesum Deum esse, Dominumq; suum non agnoscunt; sed etiam velut seductorem blasphemant & execrantur. Fideles ergo esse necesse est, qui agnoscunt quidem Dominum, & se per illum esse redemptos credendo confitentur, sed factis, vt inquit Apostolus, negant: cùm sint iniquitatis sectatores, Tit: 1

& fi-

& fidei, quam ad facienda iustitiæ opera non adhibent, iniqui possessores. Apostoli præterea clara voce prædicant, fidem haberi sine ipsa charitate posse.

1. Cor: 11. Si habuero, inquit, omnem fidem ita vt mõtes transferã, & charitatem non habuero nihil sum. (Et D. Iacobus) Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.

Iac: 2

Quo quid aliud intelligi volunt quàm aliquos esse, malos scilicet de quibus loquimur, qui hanc fidem emortuã et sine charitatis fructu obtineant. Ad exempla in sacris literis obuia veniamus. De Principibus Iudæorum Euangelista Ioannes testatur.

Ioan: 12 Multi (inquit) ex Principibus crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur, dilexerũt eñi magis gloriã hominum, q̃ gloriã Dei.

Prĩcipes Iudæorũ credebãt in Christum, sed non confitebantur illum.

In quorum ergo numero hos prĩcipes reposueris, infidelium ne an fidelium, bonorum an malorum? At quomodo eos infideles dices, quorum fidem sacer Euangelista prædicat, vt hoc tu eis Volane, auferas q̃d eis diuina tribuit scriptura? Aut quonã modo bonos fuisse, & sãctos prædicabis, q Christi Do-

sti Domini dilectionem seculi vanitatibus postposuerunt, & gloriam illius humana inferiorem æstimauerunt, honoresque ipsos mundi, suæ saluti anteferre maluerunt. Simonem denique illum magum credidisse & baptizatum esse sacræ voces prodiderunt, quem adhæsisse Philippo, factaque omnia Apostolorum cum stupore & admiratione spectasse, & inter fideles connumeratum esse legimus. Probum verò & sanctũ, illaque fidei anima, charitate nempe, exornatum fuisse, quis dixerit eum, qui dona cœlestia spiritus S. pecunia æstimauit: & quem Princeps Apostolorum tanta reprehensione compescuit, vt cor eius non esse rectum, coram Deo, sed felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis esse infectum, testaretur, pænitentiamque ad peccata expianda sacrilego illi & impio persuaderet? Qui grauitate illa verborum repressus, orari pro se petit: vt & inde extinctam in illo non fuisse fidem, qua se precibus Apostolicis veniam consequi posse sperabat, facilè colligat. Verè ergo Simõ ille credebat,

Simõ Magus fidelis erat sed malus. Act: 8

& tamen malus erat. Fidem itaque habere malos dubitari non potest. Taceo permulta in S. scriptura, quæ nullo modo rectè intelligi & accipi poterunt, nisi fidem malis tribuamus. Quomodo enim virgines fatuas, lampades quidē habentes, oleo verò destitutas intelligemus? aut quà nam ratione desponsatas sponso, nuptiasque illas ad quas prudentes sunt ingressæ ambientes, & in occursum sponsi, quem non nossent prodeuntes, vocique præconis de aduentu sponsi nunciātis credentes, accipiemus, nisi fidem illis, per quam desponsatæ erant, & sponsum iam nouerant, tribuamus? ad quam, cum feruorem & ignē illum charitatis non adhibuissent meritò sunt repulsam passæ. In cænaculum denique illos veste nuptiali destitutos, quos aliter quàm per fidem, qua vocanti se Deo crediderunt, ingressos interpretatus est? Si non est ingressus, infidelis ē, & conuiuium Domini præparatum cō tempsit. Si verò in ipsum cænaculum introiuit, per quam aliam portam aditum sibi patefecit, nisi per eam quæ re-

Matt: 25

Fatuæ virgines fidem habebant sine charitate.

Matt: 22

ctè à D. Augustino, Credo, appellata ẽ, Palmitem præterea Christo insertum & fructum non ferentem, excisionẽq́ expectantem, quis vnquam nisi de credentibus & non operantibus accipere potuit? Audi D. Cyrillum in hæc verba. Joan: 15.

Voluntaria est (inquit) nostra cum Christo conglutinatio, & charitate ac fide perficitur. Et fides quidem in animo nostro consistit veram Dei cognitionem efficiens, charitas verò mandatum eius seruare facit. Qui enim me diligit, is, inquit, mandata mea seruabit. Qui ergo per fidem solummodo coniunguntur, sola illi confessione inhærentes, nec charitatis vimine se colligantes, palmites quidem sunt sed non fructuosi. Nam fides absq; operibus mortua quædam res est. Huiusmodi autem palmites, agricolæ falx seuerissimè amputat & igni tradit. (Et alibi) Credere, inquit, in Deum cordis assensu non minus malis quã bonis adest, credere verò in ipsum fide per dilectionem operante, & fidem habere operibus coniunctam, atq; opera coniuncta fidei, solum bonis congruit. Hæc est certè compago: fides, inquam, qua Christo mali cohærent. & quamuis mortua & arida sint, membra sunt tamẽ: quæ vel reflorere & ad mentem redire, per pænitentiam, ad quã illos Dei longanimitas

In Ioan: lib. 10 cap. 15

Mali sunt infructuosi palmites in christo

In Ioan: lib: 6 cap: 7

Rom: 2 Matt: 13

tas, vt inquit Apostolus, vocat, poterãt vel resectioni vindemiæ tempore, vbi ex Christi Regno eijcienda erunt scandala subiacebunt. Hanc etiam orthodoxam doctrinam, & ille, cui te aliquid tribuere, nescio quàm verè affirmas D. Augustinus est professus. Inter Hæreticos (inquit) & malos Catholicos hoc interest: quòd Hæretici falsa credunt, illi autē vera credentes, non viuunt ita vt credunt.

Quæst: ex Mat: 11

Catholici mali vera credũt.

Si ergo mali Catholici vera credũt, quomodo carere illos fide dixeris? Sed & ad cōplura absurda, hæc te opinio pertrahet. Fateri te enim error iste, quo malos fide carere, tam disertè audacterꝗ; affirmas, coget: per peccatum quodlibet mortiferum amitti fidē. Quod, quis sanus dixerit? Demus aliꝗ; Catholicum lapsũ in scelus aliq̃d lætale, in quo etiã permaneat, malus igitur est, & proinde secundum te, fidem non habet. Tua igitur sententia infidelium numero erit ascribēdus: & aut Hæreticus erit, aut perinde ac Scyta & Machometanus habēdus. Dauid quoꝗ; perpetrato homicidio & adulterio, tuo calculo fidelis esse

Fidelis peccans lætali culpa non amittit fidem.

desijt

desijt, & factus est infidelis & gentilis. Quis tam inconsideratos & insulsos errores perferat? Ipse te etiam communis rationis sensus deseruisse, Volane, probabitur. Qui demonstrat notiones illas naturales ex hominum mentibus non deleri, quibus quid rectum sit sciunt, licèt omnium sint perditissimi, sed tamen quod virtutis est, facere nolunt: vident meliora probantq́; quamuis sequantur deteriora. Fides certè, quæ est notionum illarum naturalium instar, & lumen quoddam intellectus, credere & videre quæ sancta sunt potest, quãuis voluntate omnia iniqua & legi Dei contraria sectetur. Ad extremum arbitror te, pace tua dixerim Andrea, vel insidiatorem illum per te incautum forsitan, sicut in reliquis, quorum ante meminimus, ita hîc quoq;, Anabaptistis arma fabricare, cùm fide destitui malè viuentes arbitraris. Nam illi vt iugum eorũ qui in Ecclesia vel republica præsunt excutiant (vbi Ecclesiastica aliqua vel ciuili dignitate fungentem quempiam, in crimen & peccatum aliquod

Scire recta possimus licet non faciamus.

Anabaptistis arma suppeditant Zuingliani.

incidisse suspicantur) iam illum destitui fide, & inter infideles prorsus numerandum statuunt, vt omni iure gerendi retinẽdiq; magistratus, spoliatum esse cõcludant. Itaq; non modò malis sacerdotibus contra ipsius Domini praecepta, sed nec ciuilibus Principibus parẽdum esse definiunt. atq; ita omnia confundunt, vt nec quando Episcopus, Sacerdos, Rex, iudexque legitimus esse incipiat & desinat (quis enim scrutari corda praeter Deũ ipsum potest?) nec quando sacris ritè operatus sit, nec quã do vera sacramenta contulit, cognosci à quoq; poterit. Omnia ergo non modò incerta, sed etiam omni confusione quã Sathanas molitur plena, ordine & disciplina dissoluta, & magistratibus sublatis perturbabuntur. Vnum est hoc certè ex his quae iacitis Zuingliani fundamẽtum, in quo caetera magis impia Anabaptistae extruunt.

Haereticorum insidiae contra magistratum spirituale & ciuile.

Sacramenta verò malos eadem omnino quae & bonos tam integra, tamq; sancta, in eadem Ecclesiae & fidei communione percipere, nec nuda signa tã-

tùm, vt tu opinaris, eadem perſpicuitate in ſcriptura, & in omni Catholica, veterumq́ꝫ patrum doctrina, ẽ clarisſimũ. Quod anteq̃ oſtẽdo, in primis admonendus es, (ne ludicra hæc amphibologiarum & æquiuocationũ in nomine ſacramenti quæras, per quas tu puerili quadam arte eludere veritatem niteris,) propriè intelligi ſacramentum vtraq́ꝫ ſua parte rebus ſcilicet cœleſtibus & externis ſignis, conſtans, non pro nudis ſignis tantùm. Quis enim ſigna nuda, rebus cœleſtibus vacua, Euãgelica ſacramenta, te etiam teſte, vnquã dixit? Nam ſi vocis huius libertatem aliquando vendicauit ſibi D. Auguſtinus, vt ea ad illa, quæ ſacramenta non ſunt, abuti voluerit, cùm & benedictũ panem, qui Catechumenis etiam dabatur & ſignum Crucis ſacramentum vocat: Nunquid hoc vbiq́ꝫ fecit, vt liberũ tibi ſit, vbicumq́ꝫ velis, has improprias ſignificationes, in eius verbis confingere, impoſturasq́ꝫ inducere? Itaq́ꝫ cùm malos eisdem vti ſacramentis cum bonis toties affirmat, noli cauillari, ſigna

Amphibologia in nomine ſacramenti Volanus veritatem eludere vult.

illum tãtùm, quæ vtiq; sacramenta nõ sunt, sed res etiam cœlestes, quas & boni sumunt, sacramenti nomine intelligere: quod facilè ex ipsa verborum serie sententiarumq; cõnexione deprehendes. Nunc primùm sacris eloquijs cede, & malos eisdem, vti cum bonis sacramentis, testantem Apostolũ audi.

1 Cor: 10 Omnes (inquit) in Moise baptizati sunt in nube & mari, & omnes eandem escã spiritalem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt (bibebant enim de spiritali, consequẽte eos, petra. Petra autem erat Christus) sed non in pluribus bene placitũ est Deo. Nã prostrati sunt in deserto. Omnes, inquit, & illi, in quibus non est beneplacitum Deo, escam non diuersã sed eandem manducauerunt. Non erãt alia pro bonis, alia pro malis, instituta in lege veteri sacramenta: sed communia & eadem vtrisq;, eadem Moises & Aaron, quæ Chore, Dathan, & Abirõ, perceperunt: non tamen æquè omnes Deo placuêre: sed prostrati sunt multi in deserto. quod idẽ de noui Testamenti sacramentis sentiendum est. Illa enim Dominica parabola, de Cœna, declarat

Non alia pro bonis alia pro malis Deus instituit sacramenta.

ad has epulas bonos vocari & malos: & simul nudos, cum illis, qui nuptiali veste sunt ornati, discumbere, eisdemq; vti diuinorum sacramentorum epulis. Iam audi, quid D. Augustinus sentiat. Habemus (inquit) innumerabilia testimonia, & de commixtione malorum cum bonis, in eadē cōmunione sacramētorū, sicut Iudas ab initio malus, inter bonos vndecim conuersatus est. (Et infra) Est alia similitudo, apertissima de commixtione bonorū & malorum intra eandem sacramentorum communionem & connexionem: quā Dominus ipse ponit & exponit. Simile est, inquit, Regnum cœlorū sagenæ missæ in mare (Et infra) Nulla ergo malorum cōmixtio terret bonos, vt propterea velint, tanq̃ retia rumpere, & à congregatione vnitatis exire, ne homines non pertinētes ad Regnū cœlorum in sacramentorum consortio patiantur. (Et alibi) Bonos à malis intra Ecclesiam duntaxat Catholicam constitutis non debere, nisi operum dissimilitudine separari, vt cum quibus diuina communicant sacramenta, non habeant mala opera, quibus illi sunt criminosi, communia. Dic ergo Volane, hîc Augustinum sacramēti nomen impropriè vsurpare pro signis tātùm, scilicet. An boni signa tantū percipiunt, qui eadem habere cum malis

De vnitate Eccle: cap: 13. Eadem sacramenta boni quæ & mali sumunt.

De fide ad Petr: cap: 43

ſacramẽta dicũtur: Indifferẽti enim modo & de bonis & de malis docet illos eãdẽ eorũdẽ ſacramẽtorũ cõmunionẽ habere: vtiq; verorũ, vtique nõ ſignorũ quæ ſola Euãgelica ſacramẽta nõ ſunt. Deniq; coniunctionem membrorum Myſticorum Eccleſiæ, oportet compage aliqua myſtica, & cæleſti ſpiritaliq; coniungi: eodem enim modo vnũ corpus diceretur Eccleſia, ſicut propter eadem ſigna & vexilla vna dicitur Legio. At hoc, ſentiendum non eſt: ſpiritalis enim coniunctio, ſpiritalem aliquem nexum & vinculum requirit, per quod conglutinetur membrum membro, & vnum efficiatur corpus. At ſigna, cùm externa ſint tantùm ſymbola, coniungere interna & myſtica membra non poſſunt: ne eandem, ciuilis exercitus cum Eccleſia, coniunctionem habere videatur. Itaq; ſacramenta cæleſtem habeant copulam oportet, & diuinum adiunctum donum, per quod hæc myſtica membra coniungantur. Deniq; quæro, Volane, Hæretici, qui extra Eccleſiam ſunt, habent ne verum & ſanctum

Myſtica membra myſticã habent cõpagem

Baptiſmũ

Baptiſmum, an ſolā aquam, ſeu aquæ ablutionem? ſi dicis, falſum nec verum habent ſacramentum, ſed ſolùm ſignū: illos ergo rebaptizandos, cùm ad Eccleſiam redeunt, affirmabis. At hunc errorem iam pridem damnatum eſſe non ignoras. Quòd ſi rebaptizandi nō ſunt, certum eſt illos etiam extra Eccleſiam verum & ſanctum Baptiſmum, licèt ſibi inutilem, recepiſſe. Si ergo Hæretici extra Eccleſiam, verum habent ſacramentum, nec ſignum tantùm nudū, quomodo mali, qui intra limites ſunt Eccleſiæ Catholicæ, veris priuabuntur ſacramētis? An Hæreticis hoc tribues, quod negabis Catholicis? erit aliquid Apoſtatæ ſanctum & integrum, à quo fidelis, in ſinu Eccleſiæ conquieſcens excludatur? noli errare. Sicut prædicatum verbum Dei, æquè bonis & malis, verum & integrum eſt, cùm æquè bonum & ſanctum ad vtrorumque aures defertur (licèt alij ex eo fructū, credendo & obediendo, alij contemnendo damnationem aſſequantur.) ita & ſacramenta tam vera, tamque ſancta percipiunt

Hæretici extra Eccleſiā verū habent baptiſmū non nuda tantum ſigna.

cipiunt mali atq; ipsi boni, licet non eodem fructu. Bonum semen cadit, & in agrum spinis consitum, & in terram bonam: non aliud ibi, aliud hîc, sed idem illud bonum eiusdemq; virtutis: sed ibi suffocatur, hîc fructum affert optimũ. Et virtus quidem seminis eadem est, terræ autem ipsius dispositio varia est. Aut ergo finge Deum aliud semẽ inefficax quoddam in corda malorum, aliud in bonorum mẽtibus, serere: hoc est alia sacramenta nuda scilicet signa, & elementa vacua, & nil cœleste habentia, præbere malis, alia meliora, & res etiã diuinas continentia exhibere bonis: aut cõcede sibi similia et eadẽ vi prædita, paris sanctitatis, et ad salutẽ õnium producendam æqualis ponderis, vtrisq; exhiberi. Nec enim ex parte sacramentorum aliquid deest, vnde mali consecrentur, & diuina consequantur charismata: sed sua culpa ipsi se ad fructum salutis ex eis referẽdum minus reddũt idoneos. Sicut ipse Christus, alijs odor est vitæ ad vitam, alijs odor mortis ad mortem, & alijs ad ruinã, alijs ad resurrectionẽ

Vnum & idem semen est q̃d & in bonam et in malam terram cadit.

2 Cor: 2
Luc: 2

rectionem, alijs in petram scandali & in lapidem offensionis, alijs verò in angularem lapidem, & salutis fundamentum. Ita & diuina eius sacramenta, teste Apostolo, alijs ad iudicium, alijs ad salutem. Itaq; tua omnis argumentatio hoc loco in eo versatur: malos ideò vera non percipere sacramenta, quòd inde salutem non referant: eodem modo dicito, malos nec verum Christi audire verbum, eò, quòd inde non proficiāt, nec infirmos veras, quòd inde nō sanentur, recipere medicinas. Stultū ē certè, rem à rei vsu & effectu nō discernere. Idem sol lippiētes oculos excæcat, puros verò illustrat & exhilarat, nō ex aliqua suæ virtutis inopia, sed ex rerum, in quas agit, diuersa natura. Christus ex se ē vita & resurrectio, & odor bonus, & tamen impijs est mors & ruina, & odor mortis in mortem, non ex se, sed ex impiorum, qui eo abutuntur, deprauata voluntate. In eodem luto hæres, cùm, ex D. Augustino fructum sacramenti ab ipso sacramento, non discernis. Augustini verba sunt. Sacramē

tum

1. Petr 2.

Mali verum Dei verbum audiunt licet non proficiāt.

Res à rei effectu discernenda est.

Luc: 2

2 Cor: 2

tum sumitur (inquit) quibusdam ad vitam quibusdam ad exitium, res verò sacramenti omni homini ad vitã, nulli ad exitiũ, quicũ q́ eius particeps fuerit. Ex his tu verbis colligis, malos sacramentum tãtũ, hoc est signum, sumere: rem verò cælestem solos bonos accipere: sed cæco errore duceris. Nec enĩ sacramẽti nõie sola signa accipit in hoc loco D. Augustinus, nec rẽ sacramẽti, pro parte illa cælesti, ex qua S. Eucharistia constat: sed pro fructu ipso & fine sacramenti vsurpat. Cùm enim dicit, Sacramentum quibusdam sumitur ad vitam, non signa sola intelligit, quæ vitam nequaquam conferunt. Quid enim stultiùs dici potest, quàm signa nuda afferre vitam? nec dissimilis est infantiæ, asserere, signa sola afferre alicui exitium. Sed vno & eodem sacramento, hoc est re diuina, sub signis exhibita, alter vtitur ad salutem, vbi se componit & præparat: alter abutitur ad perniciem, vbi contemnit & nõ diiudicat. sicut ab vno & eodem igne, aurum quidem purgatur, & nitidius redditur, lignum verò consumitur. Ne

Res sacramẽti pro fructu & effectu Eucharistiæ a D: Aug: vsurpatur.

Nuda signa non afferunt vitam.

verò

verò verborum ambiguitate decipia-ris, nosse te oportet: Rē sacramenti quoties confertur cum signis, pro parte illa cælesti, ex qua ipsa S. Eucharistia constat, accipi, vt in illo loco. Sacrificiū Ecclesiæ duobus modis confici, duobus cō stare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine: sacramēto & re sacramēti, id ē corpore Christi. Hic rem sacramēti, quia cum signis comparat, ipsum Christi corpus vocat. At quoties sacramētum ipsum cum fructu confert, tum rem sacramēti, effectum & finem ipsius sacramenti appellat. vti in illo loco, quem attulisti, spectare licet. Sacramentum (inquit,) quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. integrum & verum intelligit sacramētum ex signis & re cœlesti, quæ sola vitam parit, constans, res verò sacramenti omni homini ad vitam, remissio scilicet peccatorum in Baptismo, et coniunctio cum Christo in Eucharistia, qui horum sacramentorum est finis, nulli pōt exitium afferre, sed omnibus parit salutem. Noli itaq; dubitare, malos, sicut verè corpori Ecclesiæ coniunguntur, ita

Res sacramenti dupliciter accipitur a D. August. & aliis.

ita etiam vera & sancta & integra, eadē que cum bonis accipere sacramēta. nam nequaquam cōiuncti bonis viderētur, nisi huius coniunctionis, & communicationis aliquid esset vnum, & idem vtrisque commune. Communicatio enim est in aliquo vno, non in signis externis, per quæ nulla est mysticorum & spiritalium membrorum coniunctio: sed in ipsis spiritalibus & cœlestibus rebus, quæ signis in sacramentis includūtur. Taceo, quòd summam es confusionē inducturus, si solos tantùm bonos, veris sacramentis perfrui cōfingas. Cùm enim, vti supra dictum est, quis nā bonus sit, & ad electos pertineat, prorsus sit nobis occultum, & soli Deo tantùm cognitum: consequetur neminem scire posse, baptizatús ne sit, vel nō: & qs nam securè christianus sit appellandus, prorsus dubium relinquetur. quod totū tantò clarius reddetur, vbi percipere malos, ipsum reale in Eucharistia Christi corpus, quæ vltima est propositi nostri pars, docebimus.

Mystica membrorum coniunctio spiritalē habet copulam.

Confusio quam inducunt Hæretici.

Si itaque mali, eadem ipsa, quæ & boni

vera integra & sancta percipiunt, quæ & ipsi boni sacramenta, hæcq; illorum est in vno corpore mystico compago: iam inferendum est, & illud Christi eos in Eucharistia corpus sumere. Volebas tu quidem hoc, contra te, acutissimum telum euadere, sed nulla declinatione ad tuas figuras, vitari potest. Dicere tādem es coactus, malos sacramentorū non esse participes, nec ipsam Eucharistiam, sed nudum panem accipere. Cū enim ex amphibologia nominis, inuertere argumētationis vim velles: & Eucharistiæ quidem sacramentum, sed impropriè dictum, hoc est, signa tātū, vnam sacramenti huius partem percipere malos contenderes, in easdem redactus es angustias. Idem est enim dicere malos signa tātùm accipere, ac si dicas: in Eucharistia malos nullam cū bonis habere communionem. Sicut enim cadauer mortuum, homo non est: ita panis, ac vinum, vti tu etiam concedis, Eucharistia esse non potest: sed id tantùm, quod ex vtroq; constat. Sed quid noui si malos sacram Synaxim nequaq; per-

CAP. 5 Quod mali etiā Christi corpus in sacramento accipiant.

cipere asseris, cùm eos etiam, non modò à communione sacramẽtorum, sed etiam ab ipso nomine Ecclesiæ excludas: ãtiquarumq; hæreseon Pelagij, Donati, & aliorum pestes, & damnata ab Ecclesia dogmata, quæ tot libris ipse etiam D. August. expugnauit, suscitare coneris. Licèt igit hoc vnũ te argumentum, quo malos vera sacramenta & integra percipere docuimus, prosternat vt fateri sit necesse, corpus etiam Christi in Eucharistia illos percipere: lectori tamen satis faciemus, alijsq; etiam documentis hoc ipsum probabimus, præsertim vt tuas corruptelas, quas D. August. sentẽtijs attulisti, reijciamus, alijsq; ratiunculis tuis conuulsis, extremam operi manum imponamus.

Apostolo in primis obedias dicenti.
1 Cor. 11. Qui mãducat et bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. posse mãducare malos corp9 Domini indignè nil potuit dici apertiùs Quem locum exponentem, & ita sicut docemus interpretantẽ, cùm reliquos omnes Doctores, tum D. Augustinũ audias.

Sicut Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locū in se Diabolo permisit: sic indignè quisque sumens Dominicū sacramentum, non efficit, vt quia ipse malus est, malum sit, aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini, nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Aperta verba sunt, Iudam & omnes indignè sumentes, cùm vera & sancta sacramēta, tùm corpus etiam Christi Apostolico testimonio sumere. Itaque tam apertis verbis victus, fateris, dicere Augustinum, malos Christi corpus sumere: sed ad illum mendaciorum portum, à quo iam toties es repulsus, hoc est ad figuras, habes perfugium. Figuratè, inquis signis, hoc est pani, nomen corporis Christi tribuit. At verò hæc eadem verba, commentum istud respuunt. Si eni indignè sumens, solum panem sumit, nihil sumit, nil quod eum bonum & sāctum efficiat, nil supra vsitatam escarū consuetudinem, nil cœleste, nil quod salutem illi pariat. At hoc Augustinus

De Bapt. cōtra Donati: Lib. 15. cap. 8.

Solū panē sumēs nil cœleste sumit q̊d salutē illi afferat

negat, sed aliquid indignè sumentem, quo saluus esse poterat, cœleste scilicet & spirituale donum, imò ipsum Christi corpus, accipere profitetur. Et alio loco apertiùs: Sicut, qui manducat, (inquit) corpus, & bibit sanguinem Domini indignè, iudicium sibi manducat & bibit: sic & qui accipit indignè Baptisma, iudicium accipit, non ad salutem. Nam & Iudas proditor, bonum corpus, & Simon Magus bonũ baptisma Christi percepit: sed quia bono bene vsi non sunt, mali malè viuendo deleti sunt. Iterum audis eum dicentem, malum, indignè corpus Christi manducare: & Iudam bonum etiam Christi sumpsisse corpus: quo, si bene vsus fuisset, salutem inuenisset. Hîc etiam finge figuras & dicas: sumpsit bonum panem Iudas, quo pane, si bene vsus fuisset, potuit æternam consequi vitam. O insulsam, & nullius auribus dignam sẽtentiam, quam tu tribuis Augustino. Quis enim ita pane terreno vti potest, vt per eum viuat in æternum, & beatitudinem illam cælestem consequatur? Deinde cùm alio in loco idem testatur, Ex vna, (inquit) re sancta Iudas sibi sumebat suppliciũ, Petrus salutem. Ex vna, (inqt) re qua-

Contra Fulgentium Donat. cap 6

Iudas bonũ Christi corpus & Simon Magus bonum baptisma accepit.

Cont. literas Petilia. lib. 2 cap. 46.

re, quali verò? an ex signis & ex pane? Si salus Petro ex pane, & Iudæ supplicium ex pane. At insanientis est, S. Petro salutem ex pane prouenisse somniare & similis demẽtiæ est, supplicium Iudæ propter indignè tractatum panem contigisse, affirmare. Sed quia illud, quod S. Petrus summa fide & reuerentia, animiq; puritate suscepit, Iudas polluto corde & profano ore tractauit, corpus scilicet Christi & sanguinem: ideò S. Petrus salutem, Iudas verò suppliciũ ẽ consequutus. Hanc etiam D. Augustinus de Iuda sententiam toties alibi inculcat. Quid vobis fecit, qui traditorem suum tanta patientia pertulit, vt ei primã Eucharistiam confectam manibus suis & ore suo commendatam, sicut cæteris Apostolis traderet. Confectam Eucharistiã, inquit, non signa nuda, quæ sola Eucharistia non sunt, sed cœlesti etiam dono ex vtroq; constantem, Iudæ præbuit. Et ne illum amphibologia vsum calumnieris, Eucharistiam dixit non sacramentum. Quære iam, si potes, Eucharistiam etiam apud Augustinum sola signa dici. Et ne aliam & diuersam quàm

Sicut salus S. Petro non ex pane sed ex Christi corpore ita & Iudæ supplicium non ex pane.

In psal. 10

Apostolis est data somnies, adiungit. (Sicut & cæteris Apostolis.) Sed cæteris integram, veram, non nuda signa habentem: ergo & Iudæ non dissimilẽ Quàm præclarè tuos tropos, quasi vestras insidias præuidisset, explodit, & nullam tibi ad hæc deliria viam relinqt.

Epist. 162

Ponam & illud, quod ad eundem sensum pertinet. Tolerat (inquit) Dominus ipse Iudam, Diabolum, furem, & venditorẽ suũ, sinit accipere inter innocentes Apostolos quoq; fideles norunt precium nostrum. An precium nostræ redemptionis panis est pistorius, Volane? non certè: sed caro Christi & sanguis. hæc ergo etiã Iudas inter innocentes discipulos recepit. Ad has, tu, & alias tam claras viri sãcti voces, non respondebo, inquis. At quare Volane? an, quia claræ sunt, nec commenta tua patiuntur? an quòd illas duas semper in promptu habes solutiones, Alteram, nõ credo: alteram, loquitur figuratè. Vno verbo, lucem hanc veritatis effugere, & rem tanti momenti contegere vis: Figuratè inquis, loquitur. sed verba D. Augustini ita sũt contra vmbras et figurarum mendacia

Nõ respõdet Volanus ad sẽtetias D. Augusti.

Duæ solutiones Volani.

cõposita

composita, vt vestra vanitas & loquacitas quædam effrenis, quæ aliud quicquam, præter tropos cõcrepare nescit, puerorum etiã iudicio ex eis retundatur. Veni ergo Volane, & regulas nobis, ad exponendos sacros Doctores, has Caluinisticas præscribe: vt vbicunque malos Ecclesiæ membra esse, in ipsius sinu contineri, & ad pœnitẽtiam expectari, verisque & sanctis, ac eisdem, quibus ipsi boni Sacramẽtis vti, ipsũque etiam Christi corpus manducare, docent, probant, & apertè cõfitentur, vt eos semper figuratè loquutos intelligamus. Quid huic audaciæ & tantæ temeritati addi possit, non inuenio. quid à te ampliùs expectabimus, quàm vt etiam quando Christum esse verum Deum scripturæ, & ipsi sacrosancti Doctores tradunt tropicè illos Dei nomine impropriè vsurpato, loqui insimules: & nihil vnquam seriò, nec certi quicquã tradere asseras, vt aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum habuisse eos confingas, tandemque omnia fidei, quæ tradiderunt dogmata, ad fabulas reducas.

Regula Volani quã habet consequentiã.

Iam ad has authoritates sanctorum, quibus es vsus, & malos non accipere Christi corpus probare volebas, veniamus. Quid dicat Origenes scimus, & quòd non diuersum ab Augustino sentiat nouimus: sed verba eius ad illam dignam & cũ probatione sui susceptã corporis Christi manducationem, referenda sunt, quam certus ille cõsequitur finis, vita scilicet æterna. Multa porrò (inquit Origenes) & de ipso verbo dici possent, quod factum est caro, verusq; cibus, quem, qui comederit, omninò viuet in æternum, quẽ nullus malus potest edere. Quis tam cæcus esse potest, qui Origenem hîc de spirituali, & fructuosa illa manducatione loqui non videat? de illa verò, quæ in sacramento est, cõmunis bonis, & malis, prorsus taceat. Ideò enim hanc spiritualem manducationẽ cum ipso fructu coniunxit: ab eaq; malos reiecit, quòd illi soli ex hac vtili sũptione vitam consequantur æternam: isti verò nunquam consequantur. vt propterea nũquam posse illos, tali modo scilicet corpus Christi cum fructu manducare testetur. Cæterum sicut ab

Origenes de spirituali sola manducatione loqtur.

surda

ſurda eſt nimis collectio, ſi quis Simonem Magum, ideò non accepiſſe Baptiſmum dixerit, eò quòd remiſsionem peccatorum nõ acceperit: ita eiuſdem eſt inſcitiæ Iudam corpus Chriſti non manducaſſe, eò quòd vitam non ſit cõſequutus æternam, dicere. Poteſt enim efficaciſsimæ cauſæ mala diſpoſitione ſumẽtis effectus impediri: & medicina ex ſe efficax, nil ad ſanitatem, vitio eius qui ea abutitur, conferre. Puro animo in ſacramento Chriſti corpus percipiẽtes, fructum vitæ æternæ acquirunt: impuri autem idem præſentisſimũ pharmacum deguſtantes, non manducant nec poſſunt manducare ad fructum & ad vitã: mãducant aũt in ſacramento teſte Apoſtolo, ad interitum. Quod affirmantem eundem Origenem audias. Quando ſanctum (inquit) cibum, illudq́ incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & ſanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipſum, imitare hunc Cẽturionem, & dicito: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum: vbi enim (nota Volane) indignè ingreditur, ibi ad iudiciũ

Cauſæ efficacisſimæ impediri poteſt effectus.

Mali non manducant ad vitam cõſequendã Chriſti corpus.

Hom. 6 in diuerſos.

dicium ingreditur accipienti. Ecce Christũ etiã ad malos, & eos q indignè accedũt ingredi in sacra Eucharistia affirmat, Et alibi. Oblatis, inquit, panibus vescimur, qui vtiq; per precem efficiuntur corpus sanctum & sanctificans eos, qui sano proposito & mente ipsa vtuntur. Prece & consecratione mystica panem effici corp9 Christi affirmans, non omnes illo vtentes sanctificari docet: sed eos tantùm, qui sano proposito & mente accedũt. Quis ergo non videat sentire Origenẽ aliquos corpus Christi in sacramento sumere, non sanctificari tamen, nec fructum salutis, propter sui animi impuritatem, consequi?

Lib. 8. cõtra Celsũ

Eos tãtũ Christi corpus sãctificat qui sana mente accedunt.

Idem est D. Hieronymi sensus verborum, quæ tu truncatim posuisti, cùm dicit. Secundum tropologiam possumus dicere, omnes voluptatis magis amatores quàm amatores Dei sanctificari in hortis & liminibus: quia mysteria veritatis nõ valent intrare & comedere cibos impietatis, dum non sunt sancti corpore & spiritu: nec comedunt carnem Iesu, neq; bibunt sanguinem eius, de quo ipse loquitur: Qui comedit meam carnem, & bibit meum sanguinẽ habet vitam æternam. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Qui non fo-

In Esai. 66.

ris

ris sed in domo vna, & intus comeditur. Non comedunt schismatici, Hæretici, & impuri Catholici, voluptatum amatores carnem Iesu: ad vitam, scilicèt, æternam, & cum animæ fructu: In sacramento autem, licèt ad interitum, posse malos corpus Christi & sanguinem sumere, alio loco testatur, & est optimus suorum verborum ipse interpres.

Offertis (inquit Dominus) super altare meum panem pollutum. Polluimus panem (inquit D Hieronymus) id est corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus & dicimus, mensa Domini despecta est. Nō q̄d hoc aliquis audeat dicere, & quòd impiè cogitat, scelerata voce proferre: sed opera peccatorum despiciunt mensam Dei. Vides ergo asserere D. Hieronymum etiam impios & pollutos ex altari mundū Christi sanguinem bibere, sed cum sua ipsorum pernicie. Adeò nihil ex his Ecclesiæ luminibus decerpere falsoq; contorquere potes, quod non tuam malam in eorum sensu corrumpendo voluntatem declaret.

In Mala. cap. 1.

Sordidi mundum Chri sanguinē bibunt.

Iam ad D. Augustinū, quid pro te in illo loco de Ciuitate Dei, vel potiùs q̄d

De ciuita lib. 18 cap. 25.

contra te enunciet, descendamus. Non est dicendus (inquit) manducare corpus Christi, q in corpore nõ ẽ Christi: quoniam nec in mẽbris computandi sunt Christi. Vt enim alia taceam, non possunt simul esse membra Christi, & membra meretricis. Hæc Augustinus: sed quomodo hoc intelligat, & vtrum à sacramentali sumptione malos excludat, & supra iam probauimus, et nunc in eodẽ capite, ea quæ sequuntur audiamus. Dicit enim. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sãguinem, in me manet & ego in eo. Ostendit quid sit non sacramento tenus, sed re uera corpus Christi manducare & sanguinem eius bibere. Vides quàm pulchre ex verbis Christi differentiam ostẽdat, quòd non eodẽ modo, à bonis & malis Christi corpus manducetur. Nam ita manducare vt Christus in illis maneat, & ipsi in Christo, bonorum est tantùm nõ malorum: sacramento autem tenus, hoc est, sacramentaliter tantùm, & sine spiritus participatione manducare, ad malos solùm pertinet. Ex hoc itaq; loco, tantùm abest, vt malos corpus Christi non manducare ostendatur, vt firmissimè etiam comprobetur, illos sacrameto

cramento tenus corpus Christi, & non signa nuda manducare. Hoc est quod nos vrgemus, nec aliud quicquam volumus. Et hoc apertè profiteri Augustinum etiam hoc loco audimus, sicut & in alio dixit; vt supra recensuimus. Corpus Christi non edamus tantum in sacramento, quod & multi mali: sed vsque ad spiritus participationem. Non manducant ergo mali, Christi corpus, ad vitã vt vera & viua membra Christi efficiantur: sed manducant in sacramento, tanquam ea membra, quæ arida quidem sunt, in radice tamen fidei & sacramentorum communione ad tempus vindemiæ tolerantur, vti suprà docuisse illum audisti. Duplicem igitur docet hîc vnius & eiusdem corporis & sacramentalem, oris scilicet tantùm, quæ malorũ est, & illam, quam re uera, hoc est fructuosam spiritalemque & omnibus semper ad salutem prouenientem manducationem appellat. Vbi verò dicat hoc loco D. Augustinus malos signa tantũ Eucharistica, non Eucharistiam, nec Christi corpus sumere, non inuenis,

Duplex manducatio corporis Chri.

Volane

Volane. At hoc probandum erat. Contrarium autem & superius dixit, & hic cõfirmat: malos scilicet sacramento tenus Christi corpus, non signa tantùm manducare. Alia verò sententia, quam pro te adhuc videris afferre, idẽ, quod dicimus, de duplici manducatione confirmat: & te ab his commentis repellit. Hoc est (inquit) manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul dubio, nec manducat spiritualiter eius corpus, nec bibit eius sanguinem: licèt carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis & sanguinis Christi, sed magis tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi manducat, & bibit, qa immundus præsumpsit ad Christi accedere sacramenta. Quid potuit ad nostræ sententiæ confirmationẽ, & duplicis illius manducationis distinctionem, clariùs afferri? & quid contra tua commenta efficaciùs? Non manducant mali corpus Christi, sed quomodo? ipse interpretatur, spiritaliter scilicet. Manducãt verò: sed quomodo? sacramentaliter & carnaliter, hoc est ore tantùm in sacramento, quod non ex nudis tantùm

Tract. 26. In Ioã.

Mali non mãducãt spiritaliter.

signis

ſignis, ſed ex corpore etiam Chriſti cõſtat. Sed tu nomen ſacramenti, quaſi p illud D. Auguſtinus ſigna tantùm intelligat, inuertere & calumniari volens, in altero eius adducto loco, egregiè contra te es interpretatus: et quòd ſacramẽti nomine, vtrunq; ſacramenti partem intelligat, oſtendiſti. Cum (inquit) ſacramẽtum ſumitur, quibusdam ad vitam, quibuſdã ad exitium. An, obſecro, ſigna ſola cuiq; ſunt ad vitam? talem orationẽ tribuis Auguſtino. Panis nudus ſumitur quibuſdam ad vitam. Hæc ſanè tam inepta & futilis ſententia, nunquam viro ſanctiſſimo atq; doctiſſimo, ne ſomnianti quidem, obrepſiſſet. Sicut ergo à quibusdam, hoc eſt bonis, non nuda ſigna ſumũtur ad ſalutẽ: ita à quibusdam, hoc eſt malis, non nuda ſigna, ſed ſacramẽtum, in quo eſt Chriſti corpus, ſumitur ad exitium. De re verò ſacramenti iam diximus, rem ſacramenti vocari fructum ipſum & effectum: hoc eſt, cum Chriſto, ipſam ſpiritus & animæ puriq; corporis coniunctionem, q; etiam re vera mãducationem, propter

In nomine Sacramenti cauillationes quærit aduerſarius.

Signa ſola nõ cõferunt vitam æternam.

hunc

hunc finem, ad quem dirigitur, vocauit. Tu verò rem à rei vsu & effectu nõ discernis: & virtutem sacramenti seu corporis Christi, cum ipso sacramento & corpore Christi, vel malè cautus vel ex industria, vt lectori facilius imponas, confundis. Illud etiam D. Augustini, quomodo contra malorum manducationem attuleris, admiror: in quo tanto te risui exponis, vt mihi cùm semper, tùm hoc loco maximè, dormitâsse videaris. Hoc ergo totum (inquit) ad hoc nobis valeat dilectissimi, vt carnem Christi & sanguinem Christi, non edamus tantũ in sacramento, quod & multi mali, sed vsq; ad spiritus participationem, manducemus & bibamus: vt in Domini corpore tanquã membra maneamus: vt eius spiritu vegetemur, & non scandalizemur, etiamsi multi modò nobiscum manducant & bibunt temporaliter sacramenta, qui habebunt in fine tormenta. Modò enim corpus Christi mixtum est, tanquam area, sed nouit Dominus qui sunt eius. Quid facis, mi Volane, dicentem affers August: corpus Christi non edamus tantùm in sacramento, sicut mali: tu verò nequaquam illos corpus Christi edere contendis? Ille malos nobiscum habere communia sacramẽ

Res a suo vsu & effectu discernenda est.

In Ioan. Tract. 27

ta dicit, tu negas: ille malos etiam mẽbra esse, licet mortua, & ad tempus, Christi mystici corporis profitetur, & tu eos membra esse Christi non posse dicis? Arma quibus te expugnamus, nobis præbes. Adeò veritatis vis vbiq; erumpit, nec premi etiam ab inimicis potest.

Cõtra seipsum affert arma aduersarius.

Ad vltimam iam sententiam D. Augustini, quam putas pro te facere, veniamus. Illi manducabant panem Dominum, Iudas panem Domini cõtra Dominũ, illi vitam, ille pœnam. Symbola, inquis, à Christi corpore discreuit: quæ sola Iudam accepisse, reliquos verò corporis Christi participes etiam factos dicit D. Augustinus, sed hoc Volanus dicit, nõ D. Augustinus. Panis Domini nõ sunt symbola, nec communis pistorius panis: sed corpus ipsum Christi Apostolica illa phrasi. Quicunq; mãducauerit panem & calicem Domini indignè. Panẽ Domini corpus Christi vocauit: ipse enim dixit, ego sum panis. non terrenus, sed cœlestis ille, & epiusios, sicuti ipse dixit Corpus meum, verè est cibus, & sanguis

Tract. 59 in Ioan.

Panis Domini est ipsum Christi corpus.

guis meus vere est potus: Et panis quē ego dabo vobis caro mea est. Iudas igitur panem Domini, corpus scilicet ipsius Christi accepit ore tātū & in sacramēto: Dominum verò in cordis sui penetralia non recepit. Ideò alio loco dixit. Et proditor bonum corpus & Simon bonū Baptizma Christi percepit, sed qa bono benè vsi non sunt, mali malè vtēdo deleti sūt. Omnia itaque contra te verba D. Augustini (quæ cùm adulterare non posses calumniari volebas) ita sunt in te retorta vt te tuo ipsius gladio confodis se cognoscas. Iam ad ratiunculas tuas, quibus hanc malorum communionē impugnas, veniamus.

CAP. 7

Rationes Volani contra malorum cōmunionem refutantur.

Vtile mihi visum est rationes, quas sparsim in hac tertia parte cōtra Catholicam veritatem posuisti, in vnum cumulum congerere, & quid roboris habeant in singulis experiri. Nam quod in primis dicis: Carnis Christi manducatio, cum vita & æterna cōiuncta: & illa affers sacra testimonia: si quis ederit ex hoc pane viuet in æternum. Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis. Qui mā-

ducat

ducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. vnde etiã illum tuum sublimem & inuictum conficis sylogismum.

Qui mãducat carnẽ Christi, manet in Christo:
Mali non manent in Christo: Ergo
Non manducant carnem Christi.

Vnam vocẽ ignorasti, quam Apostolus quasi per interpretationem quandã adiunxit, quæ hunc tuum Achillem leuissimo impulsu prosternit: Dignè videlicet & indignè. Qui dignè manducat Corpus Domini, sicut ipse Dominus instituit & voluit: is manet in Christo, & Christum in se manẽtem habet. Vides, quòd nihil aliud tua ista falsa collectione confeceris, nisi quòd mali dignè non manducent. Stat autem firma sententia illos nihilominus manducare Christi corpus. Eodem sophismate, quia fidei vita est æterna in scripturis adiuncta, quamcunque fidem salutem animæ afferre probares. sed sicut non quælibet fides sed viua & duntaxat perfecta, per charitatemque operãs: ita non quæcunque mãducatio corporis Christi, sed

digna illa & in animi puritate suscepta, salutem æternam & cõiunctionem cũ Christo producit. Mansio autẽ in Christo est, superius etiam admonuimus, duplex, quam per vitis similitudinem Dominus ipse expressit. altera quæ est tantùm cute tenus aridorum membrorum, steriliumq; & suo tempore abscindendorum palmitum: quæ sola tãtùm fidei & sacramentorum communione cohæret. altera, quæ succo etiam vitali Christi charitatis connectitur, & bonorum operum in Christi fide profert fructum. quæ vera & æterna, si in charitate palmites permanserit, est mansio. vt suo modo etiam mali, in Christi corpore mystico manere, & tanquam palea frumento, in hac area Ecclesiæ, permisceri dicantur. Sed ais Peruersa est doctrina, & in ipsum filium Dei contumeliosa, docere carnem eius, quæ manducata, ipso testante omnibus est viuifica, mortiferã & exitiosam esse quibusdam dicere. Si hæc doctrina est cõtumeliosa in Christum, mi Volane, iam Apostolum condemnasti: qui non modò corpus Christi indignè sumptum, morbos, sed & mortẽ

Duplex in Christo mãsio

Cõtumeliam Apostolo irrogat Volanus.

mortem afferre dixit. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini: Ideo (ex indigna scilicet Christi corporis manducatione) inter vos infirmi multi & imbecilles, & dormiunt multi. Sed ipsum etiam Christum quibusdam odorem esse mortis ad mortem docuit. Et beatum Petrum, qui scãdali petram & lapidem offensionis quibusdam Christum esse contendit, cõtumeliosum appellasti. Ipse potiùs, & in hos Apostolos, & in ipsum Christum es contumeliosus: qui, quod nõ intelligis, iuxta B. Iudam, blasphemas. 2 Cor. 2 1 Petr. 2

Audi & ipsum Seruatorem de se dicentem: In iudicium ego in hunc mundũ veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Contumeliosum est ergo in Christum prædicare ad excæcandum quosdam eum venisse, cùm hoc ipsum de se Dominus dicat: sobriè hæc sunt accipienda, & sanè intelligenda. Ex se Christus nulli est odor mortis in mortem, nec ad ruinam: nec caro eius ex seipsa cuiquam est mortifera, sed cũ Ioan. 9

indignè sumitur, & impuro corde profanoque ore tractatur, exitium affert. non quòd ipsa letatis & mala sit (absit hoc, viuifica enim est) sed quòd vitium sit sumentis, & illa abutentis. Medicina ex se optima, & vehemens ad sanandum, importunè sumpta enecat, non ex se, sed quòd dispositio ad eam sumentis defuerit. Vellem illa considerasses quæ de lege docet Apostolus. Inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta & mandatum sanctum & iustum & bonũ. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? absit: sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem. Eodem modo & nos dicimus, corpus Christi, quod est ad vitam, indignè sumenti esse ad mortẽ. An quia mortiferum est? absit: sed quia cor immundũ & de re diuina non bene sentiens per bonum quo abutitur, & indignè tractat, affert sibiipsi exitium. Tu verò cũ scripturæ lucem refugis, & Apostoli verba, qui ex indigna manducatione corporis Christi, damnationem proue-

Christi caro non ex se, sed vtentium vicio exitialis est.

Rom. 7

nire docet, aliorumque sanctorum sententias, cauillari vis: ex indigna potiùs signorum vsurpatione, hoc vt damnentur aliqui oriri clamitas: quòd scilicet mali, vt tua verba ponam, Ipsam tesseram coniunctionis Christi cum membris suis, quæ solis his seruit, scelerate attrectant. Sed si animaduertisses, quàm insulsè sis loquutus, tui te puduisset. Sicut Christo ipsi, ita & Apostolo (per quem loquutus est Christus) ne tam apertè repugnares, aliquis te pudor refrenare debuisset. Nam nec Dominus dixit: Hæc est figura corporis mei, sed corpus: nec Apostolus protulit, reus erit tesseræ coniunctionis Christi cum membris (quod comminiscitur Volanus) sed reus erit corporis & sanguinis Domini. Non ergo propter violatam tuam tesseram, sed propter indignè sumptum Christi corpus, puniendi sunt mali. Denique cùm culpa tantò maior sit, quantò maior in quem peccatur habetur, & culpæ grauitatem pœnæ magnitudo consequatur: maius quiddam tibi tessera & signum, aut certè tam magnum

Nouo figmento Volanus pro corpore christi tesseram interpretatur.

atque ipsum Christi corpus videbitur, si illius indigna contrectatio tanta pœna iudicatur digna. Adeô vel à communi sensu aliena à vobis afferuntur. sed ita necesse est accidere ijs, qui relicta Ecclesiæ doctrina, suam statuunt, & noua dogmata, fanatico quodam spiritu cõponunt. Porrò quod dicis, Vide, obsecro, quomodo ipsa conuenire possint, vt quos indignè mysteria Christi tractantes membra effici Sathanæ testatur Augustinus, eosdem simul & Christi participes, te iudice, affirmare debeat. Hoc verò à mente Augustini procul est, & procul absit ab omnibus pijs pectoribus, ne tanta cõtumelia Christi corpus afficiãt, vt simul in idem domicilium Christum Dominum & saluatorem cum Sathana atrocissimo perpetuoque hoste ipsius includant. Et si iam ad hæc responsum videatur, breuiter tamen accipe. Quemadmodum mali & ad Deum ex parte creationis & naturæ quæ bona est, & ad Diabolum ex parte peccati, cuius ipse pater est, pertinẽt: ita & membra quædam mystici Christi corporis in Ecclesia hac militante, mẽbra etiam Sathanæ non eadem, sed diuersa cõnexionis ratione dici possunt.

Mali ex parte creationis ad Deum q̃dã modo pertinent & ex parte peccati ad Diabolum.

Quia

Quia enim fide, quæ bona est & Dei donum, sacramentorumq́ communione, sicuti iam probatum est, cũ Christi mystico corpore, quod est Ecclesia, coniunguntur: ad membra eius in hac vita pertinẽt. quæ vel sananda sunt per pænitentiam, vel si in peccato persistãt, suo tempore resecanda. Quia verò cũ Sathana societate peccati cõiũguntur, membra etiam eius sunt. An nõ Iudas Diabolus est vocatus? & tamen Apostolum illum Christi fuisse, & ad collegium illud pertinuisse, nemo negauerit. Cæterùm gratia Christi, & peccatũ, quod ex Diabolo est, esse simul in anima nequeunt. potest tamen impius per uersa simulatione & in idolio & in altari cõmunicare. Animã quidem ex idolio pollutam veluti membrum Sathanæ habebit: vera aũt sacramenta Christi, sicut & Iudas, ad damnationem percipiet. Ioan. 6.

Nec sanctum datur canibus, Volane: tales enim cogniti, ab ipso altari seuerissimè arcentur: sed cùm latent, nec inuestigare eorum sceleratum cor, hu- Mali cogniti ab altari arcẽtur, occulti admitũtur.

mana potest cognitio, Deo iudicium relinquitur, petentibus autem & temere se indigneque ingerentibus communia omnibus sacramenta non denegantur. Externi enim Ianitores neminem credentem & conuersionem pænitentiámque præseferentem, ab introitu Ecclesiæ, ab hocque conuiuio, ad quod omnes famelici & suæ salutis cupidi inuitantur, arcere possunt. Expectatur autem Dominus discumbentes visurus, ille, qui non secundum aspectum hominum iudicat vt discernat qui sint vestiti innocentiæ & charitatis veste illa nuptiali. qui Regnum suum illo tandem tẽpore repurgaturus est, ex areaque hac, paleam ventilabro excuciet, & igne comburet inextinguibili. Habes etiã ad tuas rationes, quas contra malorum cõmunionem attulisti catholicam satisfactionem, superest vt rem totam cõcludamus, finemque tandem responsioni nostræ imponamus.

externi ianitores nullum simulatũ ab ingressu repellunt.

Matt. 22.

CAP. 8.

POsteaque nihil in tuo libello, Andrea Volane, superfuit quod non refutatum hæreticæ obstinationi

dedecus

dedecus, veritati autem Catholicę victoriam augeret: finem dicendi facturus eram. sed cum pene innumera contra hanc pestilentem, & omnium erga huius diuini mysterij, inexhaustæ Dei in nos clementiæ beneficium, ingratissimam Hæresim, arma nobis supersint: breuitate proposita prohibitus, pauca quædam strictim attingam. Quæ cùm ex se nō sint contentiosa, sed magis sua uitatem Christi erga nos dilectionis, illamq́ lacrymis irrigatam Catholicorum in hoc contemplando Altaris benefitio deuotionem redoleant & exprimant: nō iam ad te oppugnandum, qui priore iam certamine armis exutus es, sed ad trahendum magis, vt me nō inuitus ad castra Ecclesiæ Dei sequaris, vti illis constitui. Si quid in primis est quod te ab hac signorum, quam tu solam miserè tenes, in S. Eucharistia, vanitate amouere, verumq́ & re præsens etiam in ea Christi Domini nostri corpus esse persuadere tibi posset: agnita certe & semper prædicata in hoc sacramento sacrificij noui Testamenti excellentia

Sacrificij noui Testamenti excellentia maximum est præsentiæ corporis Christi in Eucha. argumentum.

lentia & maiestas, omnem à tuo animo dubitationem depellere deberet. Necq; enim aliquem vsq; adeò temerarium & contradicendi studio excæcatum inueniri posse suspicor; qui vel externum sacrificium, quod lex ipsa naturæ humanæ menti diuinitus impressa semperq; constans & immutabilis regula præscribit, nouo Testamento auferat: vel non illud esse omnibus Mosaicis excellentius agnoscat. Conuinci enim se diuinis Apostolicisq; oraculis, omnium orthodoxorum sententijs, antiquitate, & vniuersali per totum orbem offerendi in Eucharistia sacrificij, ab Apostolis recepta, & ad nostra secula propagata, consuetudine, fatebitur. Nullus ē Catholicus scriptor, nulla monumenta priscæ pietatis, in quibus pro sacrificio Eucharistico nouæ legis luculentissima non extent testimonia. Vt enim alios quorum nobis in prōptu sunt sententiæ, præteream, quid tradat antiquissimus & Apostolorum temporibus maximè vicinus Ireneus, libet afferre. Ait enim Dominum nostrum in vltima cæ

Sacrificio externo carere noua lex nō potest.

na noui Testamenti nouã docuisse oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso mundo offert Deo. Quod etiam à Malachia propheta illo insigni, quod ferè ab omnibus Doctoribus in hanc sententiam affertur, oraculo, fuisse prædictum confirmat: Non est mihi, inquit Dominus p Prophetam, voluntas in vobis, & sacrificium non accipiam de manibus vestris: quoniam ab ortu solis vsq; ad occasum, nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio mũda. Quæ prophetica prædictio, nec de internis et spiritualib9 sacrificijs, nec de externa illa vnica, & semel immolata cruentaq; crucis hostia accipi potest. Quomodo enim noua hæc oblatio esse probabitur, cum antiquos spiritualia etiam habuisse, & sine illis gratos Deo esse non potuisse constet: Nec vllum spiritus & cordis dari nunc potest sacrificium, quod non & antiquis in naturæ & in Moysi lege, fuerit commune. Visibile ergo & externum sacrificiũ hoc

Lib. 4 cap. 32 Euchari. est noui Testamẽti noua oblatio.

Mal. 1.

Malachiæ prophetia de internis & spiritalibus sacrificijs accipi nõ potest.

Spiritalia sacrificia quia nec noua sũt, nec reprobata nouæ legi esse propria non possunt.

nouum esse oportet, per quod visibili cultu, non modò verus Dei populus ab infidelibus discerneretur, sed etiam lex noua ab antiqua, & sacerdotium quod non sublatum sed translatum Apostolus testatur, Mosaicum, ab Euangelico distingueretur. Quod verò prophetica vox Malachiæ nec de cruento illo in cruce sacrificio, iuxta Irenęum rectè intelligi possit, hinc constat, quòd illud vno in loco Caluariæ scilicet monte oblatum sit: hoc verò & in omni loco, & inter gẽtes à solis ortu vsq; ad occasum vigere debuisse pronunciet. nulla ergo dubitatio relinquetur, hanc oblationem S. Eucharistiã esse, quæ et externa est & in antiquorum omnium illorũ sacrificiorum locum successit, & per totum mundum offertur. Idẽ multis in locis testatur D. Augustinus: illo præsertim, quo Christum noui Testamẽti sacerdotẽ, secũdum ordinem Melchisedech, de corpore suo & sanguine sacrificiũ in mensa illius participatione exhibuisse, & illud õibus sacrificijs veteris Testamẽti successisse docet. Taceo quæ

Sacerdotium antiquum non sublatum sed translatũ est.
Hæb. 7

Malachiæ prophetia de cruento christi sacrificio accipi nõ potest

De Ciuit. lib. 17 cap. 20

quæ docuit Ambrosius Christum in terris offerri, quando corpus eius à sacerdotibus offertur. Prætereo alios innumeros idem sentientes, qui sacram Eucharistiam esse noui Testamenti sacrificium constantissimè sæpiusq; docuerunt. Ipsa religiosa & quasi cœlestis quædam manducatio quæ in ea instituta est Eucharistiam esse sacrificium plenissimè ostendit. Nil enim non in naturæ lege solùm, sed etiam in Mosaica religiosè mãducabatur, quod non ante Deo fuisset oblatũ. Immolabis, inquit, hostias pacificas, comedesq; ibi & epulaberis corã Domino Deo tuo. Nisi quis pro eodẽ insulsè accipiat epulari domi, & epulari coram Deo: manducare communes cibos, & manducare oblatos coram Domino: vt mensam communem ab altari ex quo manducabant q erant participes altaris non discernant. Ideo Apostolus S. Eucharistiam cum Mosaicis & gentiliũ oblationibus cõferẽs intulit. Videte Israel secundũ carnem, nõ ne q edũt hostias participes sũt altaris? Quid ergo? dico quòd idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? sed quæ

In Epist. ad Heb. cap. 10

Nil religiosè manducatur quod ante Deo oblatum non esset.

Deut 27 Exod. 18.

Epulari domi & epulari coram Domino qd differat.

quæ immolant gentes dæmonijs immolant & non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum: non potestis mēsæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Quæ est ergo mēsa hæc Domini? an cōmunis & domestica? At talis nostra potiùs humana est & non Domini: sed mensa Domini altare est, in quo id quod cum religione & corā Domino, vt inquit scriptura, manducatur, priùs Deo in honorem & cultum offertur. Altare enim Apostolus mensam non hominum, sed Domini vocauit: vt mēsa sit propter manducationē: Dominica verò dicatur propter oblationem, sine qua manducatio omnis profana est & communis. Hoc & ipsa mensæ huius cum Mosaica & gentiliū comparatio demōstrat. Nec enim Mosaicus cultus, nec Gentilium itidem superstitio vsitatam mensam, sed altare habuit. ex quo id, quod Deo seu dæmonijs esset ante oblatum, omnes illi vel eiusdem Dei, vel eorundem dæmoniorum cultores, manducabant. Ideò & alio loco de noui Testamenti altari, apertiùs

Mēsa Domini est altare.

pertiùs loquutus est idem Apostolus, Habemus, inquit, altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt. manducationem cum altari & oblatione coniũgens Doctor gentium, Eucharistiam singulare esse noui Testamenti sacrificium, demonstrauit. Vbi denique Melchisedechicum sacrificium, Dominus noster impleuerit & perfecerit, nullus Hæreticorum ostendet: nisi ad huius diuini sacramenti institutionem recurrat. Hoc itaque constituto, & quod nulla temeritas negare potest, sacram scilicet Eucharistiam non sacramentum tantùm esse, sed etiã sacrificium, stabilito: consequitur, vero & re existenti Christi corpore & sanguine carere illam non posse. Quid enim nouum Christi lex attulisset, si in eius sacrificio et sacerdotio, sola nuda & re vacua signa & symbola rerum præteritarum, sicut in ãtiqua futurarum offerrẽtur? Quæ erit Ecclesiæ à synagoga quæ res absentes in figuris coluit, differentia, si in eius sacrificio in quo grata esse Deo & acceptissima debet, rerum

Hebr. 13

Psal. 109
Hebr. 5. 7

Sacrificiũ nouæ legis ex nudis figuris cõstare nõ põt.

præſentium honor & magnificentia de ſiderabitur? an nuda adhuc & egena quæ neminem ſanctum & Deo gratũ efficere poterãt, offeret elementa? An non figuras etiam veteres offerebãt? an panes illis propoſitionis & vini libamina deerant? Quæ obſecro perfectior hoſtia dabitur in lege perfectiſsima? & quid ſacerdotium Melchiſedechicũ Aaronico iuxta Apoſtolum attulit nobilius, vt cedere Aaronicum huic Melchiſedechico ceu corpori vmbram oportuerit: ſi nil præter nudum panem et vinum quod Synagogæ etiam fuit cõmune, in ſacrificio obtinemus? Imò & nobilitate hoſtiæ & ſignificationis energia ſuperabit nos Synagoga. Dignior enim eſt natura animalium quæ offerebantur, quàm panis & vini: & longè illuſtrior fuit in effuſo animalis ſanguine, quàm in oblatione panis & vini eſſe poſſit, Chriſti mortis ſignificatio. At nõ eſt ita, ſed vt inquit D. Chryſoſtomus:

Hoſtiam perfectã in lege perfectiſſima eſſe oportet.

Aaronicũ ſacerdotium erit Melchiſedechico excellentius ſi ſigna ſunt tantum in S. Euchar.

In veteri Teſtamento cum imperfectiores eſſent, quem idolis offerebant ſanguinem, eũ ipſe accipere voluit, vt ab idolis eos auerteret. Quod etiã inenarrabilis amoris ſignum

est. Hic autem multo admirabilius & magnificentius sacrificium præparauit, cum & sacrificium ipsum commutaret (non auferret) & pro brutorum cæde se ipsũ offerẽdum preciperet. Quam porrò mihi dabis illã iuxta Malachiam prophetã mũdam et per totum orbem vigentem gẽtium oblationem, cuius maiestati omnia illa antiquorum sacrificia, veluti vmbræ soli superuenienti cesserunt, si corpus Christi & sanguinem mundissimũ ex Eucharistia totius Catholici Christianiq́ orbis sacrificio sustuleris? An spirituales hostias cesisse nec nunc Deũ illas amplius requirere confinges? nõ potes omninò. Nec enim nunc etiam cordis quæ semper Deus accipit & requirit, si modò vera sint sacrificia, contemnuntur. sed cum impuritatem nostræ deprauatæ naturæ semper redoleant: nunq́ munda ex se dici possint, nisi hac quæ sola ex se est mundissima corporis & sanguinis Domini nostri oblatione cõmendentur. Nulla ergo alia in locum externorum sacrificiorũ externa inter gentes successit oblatio: cuius puritas tanta sit, vt nunq́ non gra

Gentium oblatio iuxta Malachiam munda.

Sacrificia spiritus non sunt sublata, nec sũt ex se munda

ta esse summo omnium parenti possit. vt meritò D. Augustinus dixerit. Nil tã gratè offerri & accipi potest, quã caro sacrificij nostri corpus effectũ sacerdotis nostri. Hanc igitur oblationẽ iure cultu quotidiano Deo offert, per vniuersum orbẽ Ecclesia: qua adornatam se veluti sponsa monilibus preciosissimis, sentiens: nunc̃ in conspectu Dei apparet vacua, nunc̃ ingrata (vacua autem appareret si nil Deo dignum & terrena tantùm elementa symbolac̃ afferret) sed illa, vt verbis Irenęi vtar, in q̃bus gratus Deo extitit homo, offerens, in his grata ei deputatur, & eum qui est ab ipso percipit honorem. Cuius tam magnifica & amplissima munera longè faciliùs vultuc̃ magis sereno respicit omnipotens, q̃ Abelis illius iusti respexit. Constat ergo ex maiestate & omnium sublimiore puritate acceptissimac̃ oblatione, tanti nouæ legis sacrificij, in S. Eucharistia quæ non in sacramentum tantùm sed & in sacrificium nobis est relicta, re ipsa existens corpus Christi & sanguinem esse, nec aliter sentientes importunæ

4 de Trini. cap 14

Ecclesia vacua corã Deo appareret, si signa tãtum offerret.

Exo. 23

Libr. 4 cap. 34

Gen. 4

ſtæ temeritatis vicium, ſi vel hoc vnicũ ſpectent, effugere poſſe.

CAP. 9.

Si præterea in hoc nouæ legis auguſtiſſimo ſacrificio nihil præter vmbras haberemus: vnde illæ ſanctiſſimorum patrum voces erupiſſent: qui cultum huius ſacrificij tanta adoratione & talibus orationibus exornârunt, vt qui eas legit, præſentem illos Dominum Ieſũ Chriſtum in S. Euchariſtia intuitos fuiſſe facile cognoſcat: coram quo tanq̃ iudice omnium, tam lacrymabiles edũt gemitus, vt omnem duriciam cordis eorum, qui legunt, in planctũ reſoluãt.

Sanctorũ patrum in celebrã da s. Euchar. orationes, verum in ea Chriſti corp9 oſtendũt.

Quanta (inquit quidam) Domine Ieſu Chriſte cordis contritione & lacrymarum fonte quanta reuerentia, & tremore, quanta corporis caſtitate & animæ puritate iſtud diuinum & cœleſte ſacrificium eſt celebrandum vbi caro tua in veritate ſumitur: vbi ſãguis tuus in veritate bibitur: vbi ſumma imis iũguntur: vbi adeſt præſentia ſanctorum Angelorum: vbi tu es Sacerdos & Sacrificium mirabiliter & ineffabiliter cõſtitutus. Quis dignè hoc celebrare poterit, niſi tu Deus õnipotens offerentem feceris dignum. (Et alius) Da mihi cordis cõtritionem, & lacrymarum fontem: præcipuè dum ſacris altaribus licèt indignus aſſiſto, cupiens tibi offerre

D. Ambroſius in oratione ante miſſam.

Euchariſtia ſacrificium.

In Euchariſtia chriſtus ſacerdos & ſacrificium

D. Augu. in Manua cap. 11

In altari cæleste sacrificiū.

ferre illud mirabile & cœleste sacrificium, omni reuerētia & deuotione dignum: quod tu Domine Deus sacerdos immaculate instituisti, & offerre præcepisti, in cōmemoratione tuæ charitatis, mortis scilicet & passionis: pro salute nostra, pro quotidiana nostræ fragilitatis reparatione. Confirmetur mens mea inter tāta mysteria dulcedine præsentiæ tuæ: sentiat se tibi adesse & lætetur coram te (Et alius) Domine qui Pontifex noster extitisti & mysterij huius ac incruentæ hostiæ sacramentum nobis tradidisti, vt ōnium Deus: fac me dignum sacerdotij gratia indutum assistere sanctæ tuæ mensæ, ac consecrare sanctum corpus tuum, & preciosum sanguinem. concede à me peccatore offerri tibi hæc sacramēta. Tu es enim & offerēs & oblatus, suscipiēs et distributus Christus Deus noster. O Admirabilem sanctorum patrum fidem, quæ in hoc cælesti sacrificio contemplando tātam reuerentiam & tantum excussit metum: quæ se ad degustandam & persentiendam Christi Domini suauissimam præsentiam in hoc mysterio excitat. Quod vnum etiamsi rem tam apertis verbis non detexissent, luculentissimum esset re ipsa existentis Christi corporis in S. Eucharistia documentum. At cūm tā

Dulcedo præsentiæ Christi in Eucha.

D. Chrysost. in Liturg.

Christus in Euch. offerens & oblatus suscipiens & distrbut9

manifestè

manifestè dicant, carnem Christi hic in veritate sumi & sanguinem potari, & ipsum Christum sacerdotio modo inuisibili per manus suorum ministrorum & sacerdotum fungi, ipsumq́ Christũ in altari & hostiam esse, & sacerdotẽ, & ipsum sacrificium suscipientem Deum ac Domiuum nostrum: quis non vnà cum illis præsentiam Christi corporis & sanguinis in his mysterijs adoret potiùs, quàm tãto sacerdoti nudum panẽ & vinum ad offerendum per contumeliam tribuat? Horrẽdum tremẽdumq́ & stuporis plenum hoc nostrum sacrificium apellantes illi diuini viri, an solas figuras spectauerunt? Nõ certè: sed ab ipso Christo qui illa mysteria operatur & consecrat, veram illam & Deo acceptissimã hostiã, ꝑ quã est mũdus restitutus, in q̃tidiano altaris cultu ab Ecclesia offerri agnouerũt prædicârũtq́.

Eucha. tremẽdũ sacrificiũ.

Quomodo deniq; hoc nostrum in terris altare ipsorum Angelorum cœlestiumq́ spirituum turmis & alatis illis oculisq́ retro & ante plenis cohortibꝰ circumcingi, & exornari credidissent, si non

Altare nostrũ in terris Angelicis cohortibus cingitur.

si non præsentem Dominum ibi adesse cognouissent? Quomodo illos ita pro nobis ad altare hoc nostrum preces fũdẽtes sãcti illi patres induxissent? Tempore (inquit quidam) illo (sacrificij scilicet) vt homines ramos olearum gerentes mouere reges consueuerunt, eoq; arboris genere misericordiam commemorant & humanitatem: sic Angeli tunc pro ramis oleaginis corpus Domini ipsum protendentes rogant pro genere humano, quasi dicant. Pro his Domine rogamus quos tu adeò dilexisti vt pro eorum salute mortem obires, & animã in cruce efflares. Pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem. pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti. Hoc, inquit, corpus quod sacerdotum manibus in altari offertur & ad mãducandum populis porrigitur. (Et alibi.) Per id tempus (quo scilicet hæc peraguntur mysteria (& Angeli sacerdoti assident, & cœlestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem qui imolatur Angelorum choris plenus est. Id quod credere abũdè licet, vel ex tanto sacrificio quod tum peragitur. Et infra, senem quendam tali visione dignũ esse habitum refert: qui sub illo tremendorum mysteriorum cultu Angelorum multitudinem conspexit, quatenus aspectus humanus fer

D. Chrysost. de natura Dei Hõ. 3

Angeli pro nobis orant dicentes pro qb9 hoc corpus in altari positum immolasti·

Lib. 6 de sacerdo.

re poterat, fulgentibus vestibus indu-
torum, altare ipsum circumdantium:
sicq; capite inclinatorum, vt si quis mili
tes præsente rege stantes videat. Id
quod facilè, inquit, mihiipsi persuadeo.
Venit ne in mentem his veritatis Euan-
gelicæ præconibus Caluinisticarum fi
gurarum nuda illa & omni re vacua in
hoc Mysterio opinio? poterit ne vera
illa Christi corporis præsentia, quam
Angelorum exercitu honorari in altari
crediderunt, ex hac eorum fide non a-
gnosci vel expungi? Veri illi Angeli ter
restres cælestium illorum oculos habe
bant, ab hac caligine, quam perfidia
Zuingliana aspergit, liberam fidem,
in tantorum mysteriorum spectaculo
demergebant. Terram sibi per Christi
præsentiam cælum effectam cognoscē
tes, ad vnum cum illis mundissimis spi-
ritibus altare, adorare se meritò credi-
derunt. Vna enim est societas, vnus cō
munis ōnium nostrorum Dominus, v-
na triūphi de salute nostra gloria. Ad se
etiam illi spiritus Angelici nostra ōnia
pertinere arbitrantur, qui ad salutis

nostræ ministeriũ deputati sunt. Cum quibus & nos patrum illorum à quibus hanc, sicuti illi ab Apostolis, diuinã doctrinam quasi testamẽto veri filij recepimus, ter sanctum hymnum quotidie ad hoc ipsum altare nostrum decãtantes, eleuatisq; manibus & mentibus Dominũ in ipso corpore quod, pro nobis susceptũ in ara crucis obtulit intuentes: cogita quantis replemur solatijs, qua lætitia exhilaratam se mens nostra sentit, quos gemitus & quàm læta edit intimi pectoris suspiria: cum veluti in sublimes cœlos eleuata triumphalem illum hymnum decantat. Dominum ipsum sicut cum illis suis discipulis nobiscum sub velamine specierum panis & vini conuersantem, oculis illis lynceis aspicimus: choros Angelicos adesse ipsa animorum summa alacritate persẽtimus: omnis populus eleuatis manibus orans, & iterum capita communi Domino inclinans, in terram prouolutus, pro salute sua agit redemptori gratias. Hoc corpus dicentes pro salute nostra tot supplicijs, ô Saluator, exposuisti

Ter sanctũ hymnum cum Angelis ad altare cantãtes quanta lætitia replentur fideles.

ſti, hunc ſanguinem profudiſti, & hæc nobis etiam ad veſcendum exhibes, propitium te vſque in finem tuis ouibus paſtor æterne exhibe, & quos tuo à poteſtate Sathanæ cruore redemiſti, in omni ſanctitate cuſtodi, & ab omnibus periculis erue.

Quid dicam de illa ſanctorum, quã & nunc imitantur Catholici ad ſuſcipiendum hoc tremendum myſterium tã diligenti & ſolicita præparatione, quæ certisſimum eſt veræ ipſius Chriſti præſentiæ argumẽtum? Acceſſuri ad ſumẽdum illum ignitum ex altari calculum, ſuam inprimis pollutionem & indignitatem accuſabant clamantes. Væ mihi quia vir pollutus ego ſum, & Dominũ Deum exercituum in altari ſub ſpecierum velamine video, & ſuſcipere deſidero. Periculũ meũ, & tantæ maieſtatis reuerentia accedere me indignũ prohibet, ſed viuendi necesſitas vrget, præcepti obſeruantia compellit, & pietas in primis inuitantisque miſericordia ad hanc menſam Domini mei allicit me & pertrahit. Quid faciam? Conſilium Apoſtolicũ

Præparatio ad ſuſcipiendã s. Eucha. magnum eſt præſẽtiæ Chriſti corporis argumẽtum.

Eſa. 6

postolicum ãplectar, & probabo me ipsum, vt de hoc pane edã & de calice bibam. Itaq; tot se mox lamentis in peccatorum deploratione affligebãt, tot ieiuniis & illis communibus, quæ nũc etiam obseruat Ecclesia, dierum quadraginta abstinentiis, anteq; sacram illam Christi mensam accederent macerabãt tantam in confitendis peccatis coram sacerdote humilitatem, & difficilem illam in superãdo pudore, seq; ipso accusando & prodendo, suaq; detegenda turpitudine luctam, victores sui suscepêre: tantam deniq; in ipso accessũ trepidationem & horrorem protestati sunt. Nil illis tam durum tamq; insolitum imponebatur, quod non ipsi sponte susceptum in pænitentiæ rigore auxissent: modò vt tanti mysterii exoptatum illũ coniunctionis cum Christo fructũ cõsequerentur, & ex indigna sumptione periculum declinarent. Quæ præparatio & tam considerata ad hoc terroris plenum sacramentum accessio, quónã pacto signis nudis panis & vini conueniat, sine stultitia nec cogitare quisq;

potest. Nam pharmacum omni virtute destitutum, quod nec prodesse, nec obesse potest infirmo, sine omni cautione sumitur: at vbi efficax esse & viuidũ, omniq; vi ad sanandũ morbum prædictum probatur, tum omnis cura adhibetur, ne importunè, ne non suo tempore ne in dispositione minus accõmodata sumptum, morbum potiùs augeat quã conferat sanitatem. Pari ratione si signa esse tantùm in S. Eucharistia sancti imaginati fuissent, quo modo cum õni virtute ad conferendam cœlestem illam vitam destituta sint, nec vllo in eorũ abusu tali supplicio digna Deo irrogetur contumelia, tantam in illis sumẽdis cum Apostolo cautionem requirerent? Ideò suscepturos hoc mysterium admonebant Diaconi, clamantes: Sancta sanctis. ne sicut arca illa in subsidium accersita ruinã malis cultoribus & impuris illis ministris attulerat: ita huius diuini sacramenti indigna perceptio perniciem sumentibus afferret. Itaq; sicut Zuingliani suam Cœnã facturi, ex qua nec metum habent periculi si indigne

Si signa essent in S. Euchar. tantũ, nõ requirerẽt tantã in sumendo cautionẽ.

Zuinglianorũ in sumendis nudis signis torpor & cõtemptus.

gnè sumant, nec spem salutis & vitæ æternæ consequendæ etiamsi dignè accedant, cùm nullis se pænitentiæ cruciatibus affligunt, nullã in peccatorum cõfessione confusionẽ & sui contẽptum quærunt, nullis se ieiunijs præparant, nullam proximi iniuriæ sarciẽdæ, dãniq; restituendi rationẽ, imò nullã honoris erga ipsum ad quod accedunt sacramẽtum, significationẽ exhibent: & vbi sedentes sumunt, hoc ipso protestãtur, nil illã cænam à communi & domestica mensa differre: non Christum in illa, sicut in ea quæ primum est instituta, præsentem adesse, nil diuinum, nil sanctum habere eos in illo conuictu, res ipsa probat: ita contra apud illos sanctos patres, nuncq; apud omnes qui eorum sectantur vestigia Catholicos, tãta præparatio, tantus metus, tantus honor & adoratio, Christum esse in nostris mysterijs præsentem, verumq; & præsens suum nobis exhibere corpus proclamat. Vt qui Catholicos & antiquissimos illos Christianæ fidei sectatores, ad altare procumbentes, & hæc

ſacramenta cum illa adoratione quæ
Deo debetur ſuſcipientes, conſpiciat, 1 Cor. 14
mox iuxta Apoſtolum cadens in faciē
(modò ſinceram mentem nec opinio-
nibus infectum habeat iudicium) ado
ret Deum, pronuncians quòd verè De
us in nobis ſit. Qui verò vos ſedentes a
pud profanam illam menſam cernat,
quid aliud quam indulgere vos genio
& ſolitis eſcis cogitabit?

Si præterea nil ſit in his myſterijs præ
ter ſigna & ſymbola quæ ratio iuberet
Apoſtolicos illos viros & õnes antiqs
horum ſacrorum myſtas Catechume- Chryſo:
nos & pœnitētes ab aſpectu diuiniſſi- Hom. 24
mi ſacramenti huius prohibere, & eos ad popu
prorſus tēpore ipſius ſacrificij exclude lum.
re? Quare & energumenos ad hæc ar
cana ſacra adducebāt Diaconi, et incli-
nare capita iubebant? An nõ vt ſathanā Chryſoſt.
& omnes ſpiritus immundos terrerēt, de natura
& ab humanis corporibus tanta myſte Dei Hõ. 3
riorum maieſtate, in quibus ille eſt qui
imperat etiam dæmonijs, depellerent?
Quali prudentia & fide D. Auguſtinus
retuliſſet, loca dæmonum inſidijs infe-

ſtata

stata, vbi in eis hoc sacratissimum sacrificium oblatũ fuisset, libera esse & purgata reddita, si nil in Eucharistia quàm nudum panem & vinum credidisset? Vnde tot miracula & diuinas operationes circa hoc sacramentum celebratissimorum patrum, scriptorumq; fides tradidisset? An hi tibi aliqd finxisse ceu leues, & mentiti esse videbuntur? Cùm D. Cyprianus ignem ex eo loco, vbi sanctũ Domini corpus seruabatur, in profanam mulierem erupisse prædicat. & D. Ambrosius Satyrũ gestatione, & ad collum appẽsione ipsius corporis Dominici, naufragium euasisse, celebri memoria testatur. & Amphilochius in vita Basilij magni, Hebræum quendã dum mysteria celebraret, sũmo quodã miraculo viso, ad fidem Christi conuersum affirmat. & Gregorius itidem magnus, Agapetum summum Pontificẽ mutæ cuidam fæminæ, sacri corporis in os eius impositione, dicendi facultatẽ restituisse testatum reliquit. Optatus etiam à Donatistis S. Eucharistiam canibus expositam (heu scelus nefandum

De Ciuit: libr: 22 cap: 8.

Miracula in s: Euch

Serm: 5 de lapsis.

Oratione funebri in obitũ Satyri.

Libr: Dialog: 5 cap 3

Lib: 2 cõtra Donatis:

quod

quod etiā nostro seculo fecerūt Zuīn-gliani, vera parentum illorum progenies) ipsos canes in morsus dominorum concitasse, & in rabiem versos laniasse admiratur. Alij itidem non obscuri nominis ātiquissimi testes, multa in S. Eucharistia miracula recensuerunt: quæ signis & figuris nullo modo tribui possunt. stultos ergo, mendaces & fabulis deditos iudica tantos testes, vt ipse veriùs omni ratione destitutus appareas. Infinita nunc etiam & solius diuinæ virtutis opera, in effectu diuinissimæ Eucharistiæ experimur. Et præcipuè in infirmis, qui vbi iam animam efflaturi videntur, quando dignè & pro suæ vitæ protrahēdæ necessitate Christi corpus quod solo attactu omnes fugabat morbos, Hæmorrhoissæ illius exēplo, attrectant & degustant, miraculosè conualescunt. Talia tibi permulta vel mea ipsius experientia probata recenserem. quæ omnem non credentium impudētiam, & authoritate & multitudine narrantium, ipsorumq; infirmorum attestatione superant.

Ordo etiam diuinæ ſapientiæ in reſtauranda ſalute noſtra requirebat, vt ſicut lethali illa & mortem afferente eſca perieramus: ita viuifico & vitã præbente cibo reſtitueremur. vt venenato eſui, iſte ſalutaris opponeretur. & ſicut propter illũ infauſtum audiuimus: Cinis es, & in cinerem reuertêris, ita propter hunc deguſtatum audiamus: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Quæ conſideratio diuinæ ſapientiæ, & admirabilis quædam contrariorum quæ cõtrarijs curantur oppoſitio, omnium troporum & figurarum commenta & mẽdacia ex S. Euchariſtia exterminat. quæ iterum ſerpens ille, qui per cibum nos interfecit, ingerere cogitat: vt hoc ſuis venenis oppoſitum amuletum extenuet, & omni neglectui, dũ figuras illi nudas vmbraſq; re vacuas tribuit, exponat. Iſte mendacij pater verſatili quodam dolo, primum quidẽ in illo exiciali pomo, cui vim quandam diuinitatis falsò tribuebat (vt ex eius eſu Deos futuros parentes noſtros mentiretur) plus ſuo verbo quàm ſenſibus, quæ

Ordo diuinæ ſapientiæ vt per cibũ ſaluemur q per cibũ perieramus.

Sathanas pomo vi diuinitatis tribuebat & ſupra ſenſũ fidem exigebat.

quæ nihil diuinum in pomo spectabāt, tribui volebat: nunc verò in isto nostro verè diuino cibo, vt eum nobis rursus inficiat & subtrahat, plus nos vult sensibus nostris (quæ carnem in eo Christi non vident nec degustant) quàm Dei verbo credere. At fides catholica eius se pestiferis opponēs sibilis, hîc vel maximè cum illo decertat: & hoc à fideli & vitæ æternæ cupido exigit, vt sicut psuadēti Diabolo, de illo cibo ea, quæ naturam superant, quod efficere Deos eius illius potuisset, parentes nostri crediderunt & perierunt: ita dicente Christo Deo nostro, ea de pane, quæ panis naturam omnemq; rationem & sensū superant, longè propensiùs credamus & salui simus, in æternumq; viuamus. Sicut in illo aliud sensibus parentes nostri deprehendebant, aliud mente falsa sathanæ persuasione seducti credebāt: ita hîc aliud etiam sensibus cernentes, aliud quod superat omnes nostros sensus, verissima Dei nostri, qui fallere non potest, prædicatiōe victi credamus. Ne ampliorem seductori mentienti & nos interi-

Propensius Chrō saluanti q̄ sathanæ menti enti credendū est.

Supra sēsus sathanæ credidimus, supra sēsus Chrō credam9.

interimenti, quam nostro redemptori verissima dicenti & nos viuificanti, authoritatem tribuere videamur. Oportebat ergo temeritatem illam credendi qua id quod à sathana, ad Dei contumeliam dicebatur, sequuti sumus, hac in Eucharistia consensus fidei promptitudine, in qua veritati illius honor tribuitur, suppleri: vt dicēti Christo, Hoc est corpus meum, & nobis promptissima fidei obedientia, id quod dicitur suscipientibus, iniuria illa Deo à primis parētibus irrogata, restitueretur, & vita illa æterna animæ & corporis, quam cibo amisimus, per cibum recuperaretur.

Corporali cibo in paradiso corporalis erat in Ecclesia opponēdus cibus

Corporali denique cibo illi, in paradiso (per quem nō anima tantùm, sed et corpus morbis, ipsaque crudelissima morte varijs denique concupiscentijs, & rationi nostræ repugnātibus motibus infectū est) corporalis opponi debuit esca, quæ & vitam immortalē incorruptionemque corporibus restitueret, & inobediētes in carne nostra cupiditates, prauosque concupiscentiæ ardores extingueret, & curaret; illiusque amissæ originalis iu-

ſticiæ fructum nobis reduceret. vt ſi nõ omninò concupiſcentiæ ex carne noſtra euellerentur, à nocendo ſaltem vtili cum ratione pugna proſtratæ prohiberentur. Hanc enim etiam nobis diuiniſſima Chriſti caro in S. Euchariſtia recepta vtilitatem apportat: vt & corpora noſtra pro die illo iudicij, ſicuti ex tot orthodoxis iam audiſti, incorruptione donet, et eius varios morbos (vbi id ſumẽti ad ſalutem expedit) attactu ſuo curet, ipſasq; cõcupiſcentias noſtræ carnis & noxios ardores, rore ſuæ puritatis refrigeret, compeſcat, & extinguat. Omnipotentia etiam Saluatoris noſtri poſtulabat: vt quod falſò de illo cibo ſathanas promittebat, quòd per eum ſicut Dij eſſent futuri, hoc verè per ipſius cibum impleretur: & hoc cordis noſtri deſiderium, ad quod conſequẽdum de uium iter quæſiueramus, & in quo in tentationem & laqueum ſathanæ incideramus, extingueretur & ſaciaretur. Hoc verè Dominus noſter, per ſacrũ Euchariſtiæ cibum abundãtiſſimè præſtitit. corpus enim ſuum verè, req; ipſa

Motus cõcupiſcentiæ in carne noſtra corpora ſale remediũ requirunt.

Quod falſo Sathanas promiſit hoc verè Chriſtus per cibũ præſtitit.

manducantes, in vnam cum illo, vt quidam dixit, massam reducimur: vt verè membra illius effecti, diuinitatis etiam cui caro illa qua vescimur, hypostatica coniunctione vnita est, participes Dñique ipsi per humilitatem & obedientiæ fidē efficiamur. Age ergo Zuingliane, & qs quis hac Sacramentaria peste infectus cum serpente illo, cuius venenis cibus iste opponitur, conspirâsti, vt nihil præter figuras in nostro mysterio agnoscas, nec in illo re ipsa præsens Christi corpus credas: declara quomodo hoc sapientiæ Dei & omnipotētiæ Christi institutum, ipsæque nostræ ad vitā diuinitatisque fruitionem, restitutionis ordo, vmbrarum vestrarum in sacramento deliria patiatur? Callidior erit sathanæ fraus ad nos per cibum perdendos: quàm Christi sapientia ad nos per cibū saluādos? Adhuc sese iactabit sathanæ dolus, q̄d sibi plura seducēti homo credidit: quàm dicenti & nos curanti Christo Domino credat? si nil in pane est & vino, quod non cernitur & quod sensus nostros subterfugit. Inesse pomo

vim diuinitatis mentiente Diabolo credidit homo: & inesse speciebus panis Christi corpus, Deo dicēte, nō credet? Itaq; pro corporibus etiam nostris curandis, & à morte per cibum illum introducta liberandis, concupiscentijsq; refrenandis, inuentus à Domino corporalis cibus non est: & Sathanas ad occidenda affligēdaq; corpora nostra, omnesq; rationi repugnantes motus in illo seminandos, corporalem cibum inuenit? Quod falsò Sathanas per cibum promisit, & ad quod humanum desiderium inflammauit, præstare hoc Christus per alium cibum et satiare desiderium nostrum non potuit? An non hæc est aperta in sapientiam Dei, omnipotētiamq; Christi contumelia? Meritò igitur apud D. Chrysostomū exclamat fidelis, ori suo Christi corpus admoturo.

Propter hoc corpus, non amplius terra & cinis ego sum: non amplius captiuus, sed liber. propter hoc, cælum & quæ in eo bona sunt me accepturum spero: propterea immortalem vitam, Angelorum sedem, Christi consuetudinem. In 1 ad Cor. Hō. 24.

Plantare certè in hoc etiam Ecclesiæ paradiso in terris Lignum vitæ in Ecclesiæ paradiso plantatū.

hoc vitæ lignũ, illiq; ligno mortis seu sci entiæ boni & mali opponere oportebat: vt sicut propter illius esum audiuimus, moriemini, ita propter huius mã ducatum fructum, qui manducat hunc panem viuet in æternum, audiamus: et sicut per illum immortalitate & omnibus cœlestibus bonis spoliati sum9, ita per hunc incorruptionis omniumq; supernorum bonorum hæredes efficeremur.

Solatium ex Christi præsẽtia.

Dignum etiam Christi Domini nostri clementia & illa philantropia amo req; erga genus humanum videbatur, vt nos etiam in hac peregrinatione & exilio (in q̃ cũ illis Apostolis & patriarchis nostris, qui se cum illo manducasse & bibisse gloriantur, modo visibili conuersatus est) sua quoq; corporali præsentia solaretur, & illam à multis regibus & prophetis desideratam fælicitatem, nobis quoq;, propter q̃s æquè in has terras homo factus descendit, pro eo ac nobis expediret, impertiretur: & nostrum expleret desiderium. Illa enim sunt diligentium vota & fer-

Desideriũ sponsæ erga spõsũ Christũ

uentis cordis erga hunc sponsum clamores sponsæ; Quis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meæ (Dei genitricis scilicet, quæ mater est omnium sicut Eua illa, viuentium & Christo credentium) & inueniam te solum foris, & deosculer: & iam nemo me despiciat. Apprehendã te & ducam in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Has voces amantium D. Chrysostomus, in cõtepla tione veritatis, et infinitæ cõsolationis in hoc mysterio sese erigẽs expressit. O quot modò dicunt (inquit) vellẽ formã & speciẽ eius, vellẽ vestimẽta ipsa, vellẽ calceamẽta videre. Ipsũ igitur vides, ipsũ tãgis, ipsũ comedis, vestiẽta eius desideras videre, ipse verò seipsum tibi tradidit, non vt videas solũ, verum etiã vt tãgas et in te habeas. Hæc igitur nequaquam extinguerentur desideria, nisi re ipsa & corporaliter etiam nobiscum in mysterio conuersaretur ipse Dominus Deus noster. Quẽ conuersationis modum, à sensibus quidem corporeis subtraxit (ne nobis in credendo beatitudo meritumq; illius verè magnæ & Catholicæ fidei diminueretur, & ad communem hanc & non illam ad quam aspiramus supra cœlestem

Cant. 8

Hom. 83 in Matth.

Quare sub velaminibus nobiscũ ẽ Chrũs

stem

stem vitam resurrexisse crederetur) re ipsa autem sub velaminibus specierum panis & vini nobiscum est: nec quicq̃ feruẽtissimæ nostræ erga se charitati et desiderio consolationiq́ optatæ sustulit, vt verè, nec fictè, nec figuratè dicere & gloriari possimus: Christum nostrum Dominum & Deum in hoc sacramento nobiscum manducare & bibere, & quodam modo re ipsa conuersari, corporeq́ etiam nobiscum vsq; ad consumationem seculi, hîc in mysterijs permanere. Si enim hoc, quod recepit mansurum se nobiscum, ad diuinitatem referas, nullũ habebimus post ei9 incarnationem, nouum & illa promissione dignum nobiscum manendi beneficium: vanaq́ illa tã magnifica pollicitationis consolatio videbitur. æquè enim cum illis antiquis, veluti vnus cũ patre & spiritu S. Deus, vna & indiuisa diuinitate permansit, eisq́ præsidia sua diuina contulit. Quid dicam de summo & infinito Christi in nos amore, q cũ diuina ipsius õipotẽtia coniũctus, qd nõ eorũ q̃s diligit causa efficiet? Et

Manet nobiscum Christus non diuinitate tãtum sicut cum antiquis.

Amor Christi erga nos cũ omnipotentia ei9 coniunctus.

in hoc quidē admirabili mysterio q̃d valedicturus Ecclesiæ reliquit, Christum Dominum nostrum, sui erga eos quos dilexit in finem, & quibus visibilē præsentiam subtrahebat, amoris magnitudinem potissimè declarare, & ad hoc argumentum potentia sua infinita vti voluisse S. Ioannes inculcauit: cū huic sacramento talem præfationem, & magnificum quendam titulum præfigeret. Ante diem festum Paschæ, (inquit) sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cæna facta, cum Diabolus iam misisset in cor vt traderet eum Iudas, sciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia a Deo exiuit & ad Deum vadit. Ioan. 13. Amor nil tam difficile, quàm amati absentiam tolerat: Itaq; vbi necessitas discessum & separationem imperat, curat humana illa & infirma solicitudo, vt amico quibus modis possit, præsentem se sistat. Quod per charissima aliqua pignora vel imagines, aliasq; quas amoris industria excogitat rationes, efficere contendit. Quod si aliquis amor ea potentia

Amor absentiā nō tolerat.

Amor vult amato præsēs esse eo q̃ potest modo.

esset præditus, vt discessurus & seipsũ non iam imaginem ei quem amat relinquat, & nihilominus discedat, an non hoc faceret? Faceret certè. Tãtũ enim diligit, quantùm potest verus amor. Cùm porrò Christus noster & vehementer nos diligere se, & ad hanc charitatem declarandam omnia sibi à patre in manus tradita in hoc conficiendo mysterio protestetur, sitq; ipse natura Deus ille omnipotens: cui in mentem venire potest, non eum hoc fecisse, q̃d summus ille erga nos amor exegit, & ad quod faciendum infinita illa eius potentia inuitauit? Potuit enim & seipsum sub velamine & modo suæ tantùm sapientiæ cognito præsentem nobis relinquere, & nihilominus ad suum patrem trãsire. Facessat ergo Zuingliana ingratitudo: quæ & potentiam Christo detrahit, & nobis tantam amoris magnitudinem inuidet. Tantus deniq; Domini & Redemptoris nostri erga eos quos dilexit in finem demonstrari debebat, qui à nulla creatura adæquari, et omnes amantes superare posset. At

Christi amorem matres superarent si nos proprio suo sanguine non enutriret

nisi nos vero suo sanguine ipsoq́; re existenti corpore pasceret, à matribus quæ suo sanguine filios enutriunt, superari videretur. Ideó in illa verba sanctorum quidam prorumpit. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? quis pastor oues pascit proprio sanguine? Et quid dico pastor? matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios alijs tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus: sed ipse nos proprio pascit cruore, & per omnia nos sibi coagmentat. Vnicuiq; fidelium per hoc mysterium se commiscet: & quos genuit, per seipsum enutrit nec alteri tradit. Planè cùm humana mens ad amorem fluxarum terrenarū́q; rerum prona, difficilè ad Deum diligendum transferatur, aliquid haberi oportebat: per quod à caducarum visibiliū́q; delectationum vanitate retraheremur, & in ipsius Christi vera charitate conquiesceremus. Porrò mens liberæ voluntatis nullo modo facilius ad amandum pertrahitur, quàm cùm se & amari persentit, & illud sibi obiectum videt, quod meritò rebus alijs quas amat præponat, præ cuius precio & æstimatione inferiora deserat & contem-

Chrysost. Hom. 83 in Matt. & 61 ad populum

Pertrahere nos Christus suo amore volebat.

A mundi nos vano amore preciosissimo pignore ad se amandum Christus pertraxit.

nat. Hoc itaque Dominus in hoc myste-rio fecit. Nam & proprium nobis elar-giens sanguinem, vt ad se amandum pertraheret exibuit: & per preciosissi-mum, quod ipse ē pignus, ab alijs nos quæ pniciose amamus, abstraxit. Ideo hanc eius diuinam sapientiam admira-tus D. Chrysostomus. Hoc enim (inquit) & amantes faciunt, cum amatos intuentur alienorum cupiditate allectos, sua vero cō-temnentes: proprijs elargitis suadent, vt ab illis abstineant. Sed amantes quidem in pe-cunijs, vestibus, possessionibus hanc osten-dunt cupiditatem, in proprio sanguine ne-mo vnquam. Christus autem & in hoc cu-ram & vehementē in nos dilectionē ostēdit. Non satis erat morti se ignominiosissi-mæ pro nobis abundantissimo in nos amore obtulisse: nisi quotidie seipsum suumque nobis corpus & sanguinem tra-deret, ad suam nos pertrahens dilectio-nem: ne quid illius amori præponere-mus: & ab alijs, quæ momentanea se-culi huius promittit fælicitas, abstracti ad eius preciosissima æternæ fælicitatis præmia properaremus. O infinitam vim amoris, & in nobis conseruandis sapientiam, paternamque Saluatoris no-

ſtri de nobis ſolicitudinem. Figuris ne & tropis tanta charitatis argumenta cō ueniant, prudentiſſimus lector iudicet.

Cæterùm non amori ſolummodò erga ſe noſtro, ſed etiam ſpei noſtræ de promiſsis ſuis benigniſſimus Dominꝰ à nobis diſceſſurus, conſulere voluit. Cùm enim nobis multa, quæ oculus non vidit, nec in cor hominis aſcenderunt, diuina illa & cœleſtia dona pollicitus eſſet, arrabonem quendam tanto Deo et rebus, quæ ſūt promiſsæ, dignū reliquit: qui nobis ueluti pignus quoddam certiſsimæ ſpei noſtræ, implendarumq́ promiſsionum ſiſteretur, in noſtraq́ poſſeſsione deponeret. Hoc q̄d nam nobilius & precioſius eſſet, non inuenimus: præter illud diuinum corpus & ſanguinem, quo ditati, & in earum rerum quas expectamus ſpe confirmati, fælices nos prædicamus. Illud enim iā in ſpecie habemus, quod omnem etiā earum rerum, quæ ſunt promiſſæ, pondus & æſtimationem ſuperat. Quòd ſi ad Zuinglianas figuras reducatur, quā miſeri et fluctuātes ſumus? Nil enim re

Pignus in ſpē promiſſarū rerū Dominus nobis reliquit.

cepisse nos agnosceremus, quod cum rerum, quas expectamus, precio comparari possit. At nunc habentes ipsum Christi corpus & sanguinem, tantum scilicet depositum, per quod Christo ipsi & eius omnibus meritis incorporamur, immensa spe certaq; perfruimur, hæreditatem nos illam, cùm hæredis ipsum corpus teneamus, esse consequuturos, & bona omnia tanti Domini & Dei nostri adepturos.

Hæc sunt & innumera alia, quæ præter illa de quibus contendimus & in quibus veritati cedere omnem tuam obstinationem oportuit, ipsum re constans Christi corpus & sanguinem in S. Eucharistia esse, vereq; præsens exhiberi nobis ostendũt. Te verò Volane si paucis fuero alloquutus, & qui sit meus erga tuam, & omnium tua hac Zuingliana peste infectorum, zelus, & in quantis tenebris versemini admonuero, molestiã lectori, opportuno auferã silẽtio.

Epilogus Obsecro vt aliquando te à curis huius seculi ad quietẽ animi et corporis reducens, vbi manus corq; tuum ad De-

um eleuaueris, ita cum cæco illo in corpore, tu cæcus in mente, orare incipe: Domine videam lumen tuum: radijs vultus tui, sine quibus meos intueri errores non possum, miseram animã meam illustra. Tandem tacita consideratione hisce cogitationibus insiste. Quãdiu (tecum ipse meditare & dicito) his diuinis verbis, & meæ conscientiæ stimulis repugnabo? spectabo paulisper quem sequor? cuius me discipulũ profiteor? quale dogma defendo? qua vocatione in hæc me sacra munia ingero? quibus talentis doctrinæ & ingenij confido? quos oppugno & persequor? Quomodo tam malè cautus fidẽ, quã cum lacte materno hauseram, deserui & ab his Helueticis magistris adeò apertum & expositum venenum, toto orbe, & tot meis qui me Deo genuerũt reclamantibus parẽtibus, potaui? Quæ caligo meos oculos obduxit, vt aperta Christi Domini mei verba non viderẽ & his credere nollem, vt ad sacrilegam illam signi, symboli & figuræ additionẽ animum inducerẽ? Si Christi discipu-

lus sum, quare verbis eius planissimis Hoc est corpus meum, non credo? quomodo me Zuinglij, q̄ p corpore Christi, figuram, symbolum, & signū est interpretatus, discipulum esse negabo? Quis me fascinauit, vt vni apostatæ (qui hoc primus nostro seculo dogma suscitauit) adhærere, & totius Catholici orbis, Conciliorum, & p ōnes ætates prædicantium orthodoxorum, authoritatē pro his figurarum mendacijs commutare, & iam pridem cōdemnatas sopitasq; Hæreses sectari maluerim? Quæ me tam peruersa philosophia ad hæc visibilia, vana & nuda elementa, à fide Catholica abstraxit; vt ea quæ sensu non deprehendo non credam, & quæ ratione non capio, profiteri recusē? Quare his Sathanæ susurris, qui Deo dicente: Hoc est corpus meum, non est, inquit, corpus sed figura, aures ipsas inseci, et fidem quam Deo debebam prodidi? Quomodo assentationis illius fraudibus, quibus mei mihi ingenij vires prædicabat, & hæc mysteria iuxta rationem examinare & perscrutari horta-

batur, irretitus & seductus sũ? Quæ est enim ingenij humani pspicacia, q̃d in explicatione vnius minutissimi animalis & muscæ natura cęcutit? Quis ego sum, qui mihi munus Doctoris temerè vendico? In stilo & scribendis epistolis me exercui, Theologiæ sacræ studijs nunq̃ incubui. Ad regendã domum, familiam, liberorumq̃ educationem, non ad Ecclesiæ munia vocatum me video. Quis me Doctorem in Ecclesia constituit, quis hoc munus mihi tradidit? Mihi dictum est: Quæcunq̃ dixerint vobis facite. alijs: Ite & docete: Ecce mitto vos. Eos impugnare audeo, qui perpetua successione ab Apostolis descendunt, et traditam à Deo docendi potestatem per manus impositionem accipiunt: Illos, de qbus audiui dici: Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit. Christum ergo ipsum in illis contempsi, & cum illo bellum temerè suscepi. Heu qs me de his laqueis liberabit? Gratia Domini nostri Iesu Christi. Quis mihi det fontem lacrymarum ad peccata mea deplorãda? Ad te

confugio Domine: Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas.
Hæc tecum reuolue Andrea, & humilitatis ſubiectionisq́ contra hãc ſathanæ ſuperbiam, profesſionem ſuſcipe. Non prius hæc extrema ſalutis tuæ pericula euaſeris, quàm opinione tuæ ſcientiæ quam tibi callidus tentator ingesſit, decidas: & Eccleſiæ S. tuisq́ in Chriſto parentibus ſacerdotibus Domini, per q̃s loquitur Chriſtus, in humilitate ſpiritus obedias (vt meritò iuxta Principẽ Apoſtolorum, filius obedientiæ vocari posſis) qui te certè ad Chriſti iugum & fidei eius obedientiam inuitant: quam tu Chriſto non modò in illis, q̃bus te parere iusſit, ſed in eius etiã apertisſimis verbis ſubtrahis. Ille enim dicit: Hoc eſt corpus meum: & tu potiùs alios figuras ingerentes audis, tuam rationẽ conſulis, nec te ſupra tuum captum erigis. Parere potius ſalubri conſilio diſce, & cum patriarcha Abrahamo Deo dicenti in ſpem contra ſpem crede, dãs gloriã Deo: quia potẽs eſt facere quæ

dixit ille qui verbo operatur & perficit omnia, & fallere nõ potest nec mentiri Deus. Vincat veritas, & tua ratiocinatio fallax iugo fidei in obediendo sub ijciatur: cum tuis etiam sensibus depugna. Noli oculis tuis, noli manibus nec gustatui, nec tuo odoratui credere. Hi omnes Isaacum illum senem subuerterunt: vt nec attrectans, nec gustãs cibos ab alio quã putârat paratos, nec per odorem vestimentorum, mitissimum illum Iacobum agnouerit: vocẽ tantùm filij agnouit, & ab auribus solùm fraus est depulsa. Agnosce & tu mitissimam vocem Domini tui: & reliquis sensibus te non credens, audi & vide & inclina aurem tuã, & voci huic Hoc est corpus meum, acquiesce: vt id quod dicit omnipotens, contra omnes tuos sensus credas. Hunc solùm obedientiæ sensum ab omni suspicione erroris liberum statue, cæteros plenos esse dolis iudica. Vide cuius sit demẽtiæ, & cæcæ prorsus infidelitatis, nihil quod nõ videas & palpes, credere: An non meritò pudere te tantæ infantiæ &

Rom. 4.

Gen. 27.

Psal. 44.

in ipsis fidei fundamentis tam ruinosæ fabricæ deberet. Alias oro saluti tuæ stabiles illas & firmas colũnas subijce: Credo quidquid Deus per S S. Ecclesiam, quæ est columna & firmamentũ veritatis, enunciat. Totus igitur in execrationem huius sacrilegi dogmatis exardesce: & quot quãtisq; vitæ æternæ pignoribus ista Hæresis sacramentaria spoliatos nos ẽe cupiat, cõsidera. In primis enim salutẽ nobis nostram & vitam corpus scilicet Domini ex nostris mysterijs illumq; diuinum sanguinem aufert, & solas vmbras, figurarumq; vanitatem relinquit: altaris nostri sublimem illam & omnibus antiquis excellentiorem maiestatẽ prosternit: cultum illũ tremendum (quo dominium creatoris nostri per muneris illius præciosissimi oblationem recognoscimus, & quo bonitati eius pro beneficio redemptionis nostræ gratias agimus, & gratam sacratissimæ passionis eius memoriam recolimus, fructumq; cruentæ illi9 in cruce hostiæ in nos deriuamus) expugnat; arcẽm refugij nostri in omnibus

hibus periculis, arcamq; illam propiti-
ationis ereptam esse nobis cupit: amo-
rem in nos Dei nostri, matres ipsas su-
perantem, & nos suo sanguine nutrien
tem, extinguit: ab vberibus nos conso
lationis nostræ auellit: thezaurum no
bis omnium Dei benedictionum eri-
pit: visibilis Christi absentiæ solatia, no
bis desolatis inuidet: arborẽ vitæ in hoc
terreno Ecclesiæ paradiso plantatam,
& serpentis illius venenis oppositam
radicitꝰ euellit: peregrinationis nostræ
viaticum, & illud, quod propheta vsur
pat, robur panis è manibus nostris ex-
torquere nititur: satietatem nostram et
finem desideriorum nostrorum, qui
ipse Deꝰ est, et sine quo mẽs nostra nec
conquiescere, nec repleri vnquam po-
test, siliquas nobis figurarum obtru-
dens eludit: preciosissimum deniq; &
ipsis rebus promissis maius pignus sa-
lutis nostræ subtrahit: Et vt breuiter di-
cam, omnem Dei cultum, omnesq; or
dines Ecclesiasticos, qui ad Christi ve
rum corpus pertractandum ordinati
sunt, demolitur: omnes insuper fidei

nostræ articulos(quibus illa,quæ non videntur, nec ratione vlla comprehen duntur, credenda proposita sunt)labe-factat: dum ideò corpus Christi in Eu-charistia existere negat, quòd nec illud videat, nec quomodo fieri possit capi at. ad extremum Christi diuinitatē ob-liquè impugnat, dum illum non pos-se hoc,q̄d dixit, ex panis substantia fa cere mentitur. Talis & tot nominibus sacrilegæ pestiferæq; Hæreseos disci-pulum te Volane,& demum patronū constituisti. Nec te Christi Domini di-uinitas, si modo professorē te illius & verè amicum prædicas, permouit: ne eam blasphemandam & abnegandam aliis traderes & exponeres. Nam cùm distinctē & clarissimè pronūcias, Chri stum sanguinem suum,qui in venis late bat,portare in calice non potuisse,ōni-potētiā illi sustulisti, ergo & diuinitatē. Tu ipse(si quieto & imperturbato ani mo rem consideraueris,& Deum timu eris, salutemq; tuam vanæ gloriæ & ō-ni humanæ cōfusioni præposueris) vi-debis opinionem tuam & totam inge-

nij in hac veritate oppugnanda contẽtionem, ab humanis tantùm & naturalibus rationibus pendere: quæ vel ordinem naturæ ſpectant, vel indecens eſſe, vt corpus Chriſti manducetur, iudicant. Sed laqueus iſte illos tantùm capit, qui vel prorſus ad omnem perfidiam declinant, ne quod non capiunt credant: vel qui ſibi omninò non conſtant, dum aliorum ſupra omnem naturæ ordinem in noſtris myſterijs veritatem confitentur. Et Chriſtum quidem in virginis vtero abſq; vllo viri ſemine conceptum, ſineq; vllo Dei genitricis virginei pudoris detrimento natum, credere ſe dicunt, nec naturæ leges, potuit ne hoc fieri, conſulunt: hîc verò in Euchariſtiæ tremendo myſterio regulas philoſophiæ conquirunt. Et tot indigna apud Caipham in prætorio, in cruce paſſum Dominum prædicant, nec indignitate, abſtrahuntur ne credant: hîc autẽ vbi nos verum Chriſti corpus manducare, & nil ex hac manducatione Chriſto Domino indignum euenire (nihil enim pati indignum & noxium, gloria

resurrectionis & incorruptionis honore indutum, corpus eius poterit) prædicamus: quia modũ quo pacto id sine corporis Christi diminutione & dedecore fieri possit nõ comprehẽdunt, scãdalum patiuntur. Cuius est hoc leuitatis & inconstantiæ? Aut illa, quia supra naturæ cursum sunt et Deo videntur indigna, non credas: aut hæc simul etiam in S. Eucharistia crede. Noli obsecro dignationem Christi, & amorem erga nos infinitum in tuum scandalum conuertere: sed eius potiùs beneficia, & tãti amoris pignora summa gratitudine fideq; suscipe. Potuit nos sola voluntate redimere, & tamen pati in cruce tantumq; sustinere opprobrium pro salute nostra elegit. Potuit animas & corpora nostra solo verbo viuificare: & tamẽ corpus nobis suum, quasi vitæ quandam officinam, in sacramento reliquit. Non in dono tantùm, sed & in donandi modo suam nobis voluit charitatem cõmendare: ad pertrahendum nos, ad amoremq; suum alliciendũ ineffabilia suæ dilectionis ostendit argumenta, &

omnes

omnes artes adinuenit, vt nos benefi-
cijs deuinctos ad se amandum permo-
ueret, & fortissimis charitatis suæ vin-
culis innecteret. Quod ergo admirari
exosculari, & contemplando ineffabili
voluptate perfundi, & summa deuotio
ne lachrymisq; suscipere debes ad salu-
tem, noli per ingratitudinem tuam con
temptu polluere, & in ruinam tibi sup-
pliciumq; conuertere. Mens certè pio
Christi amore accensa, id quod tu in in
dignitatem vertis, in summum sibi sola
tium conuertit: cùm Christi ipsius cor-
poris manducatione perfruitur, & spi-
rituali dulcedine reficitur. Quis non o-
ptat amati ita amore perfrui, vt non fi-
de tantùm et charitate, sed re ipsa etiam
illi coniungatur? Quis non potiùs cor-
pore etiam præsentem habere, quã ab
sentẽ eligit eũ quẽ amat, si modò amat?
Quis tã stultus est, vt nõ potiùs re ipsa
existẽs corpus Christi habere, et illo ad
suam redemptionem & vitam æternã
consequendam vti, quàm per fidem tã
tùm & speciem quandam malit? O exe
crandam sacramentariorum ingratitu-

dinem insigni contaminatam stulticia. Dic infœlix pertinacia, Dominumne malis verè præsentem, an in imagine tātùm & figura in tuam domum recipere? vitulóne saginato, an figurarum & porcorum siliquis vesci eligis? Malo, inquit excæcata ingratitudo, imaginē quàm ipsummet Dominum: malo, dicit stupida stulticia, siliquas quàm carnem viuificam manducare. Certè hæc impia hæresis, nil sinceri puriq́ amoris erga Christum relinquit, nullum feruens eius amplectendi desiderium retinet, carnalem prorsus se & ad Aegypti cæpas suspirare testatur. O si quomodo permouere te possem Volane, & Deus ipse permoueret, ne diuinis vocibus tantæq́ authoritati resisteres: vtinā te, vel tuum periculum admoneret, tuusq́ superuacaneus, dum cōtra stimulum calcitras labor, citò ad animum reduceret. Quem enim tandem finem tuus est conatus consequuturus, altis cogita suspirijs, Clauus est, quem fixit Deus & non homo: Hoc est corpus meū dicens. Hunc tu euellere & labefacta-

re te posse putas? At altè nimis & manu fortissima infixus ẽ, vt citiùs te ipsũ cõfeceris, quã illũ loco mouere possis. Prædicatio deniq; Ecclesiæ per mille quingentos annos firmata & crescẽdo roborata, (quæ in his verbis simplicẽ sensum tuetur, & beneficium tantum omni adoratione dignum putat:) murus est inuictus, quem tu homo mortalis & citò vermium esca futurus, expugnandum cum Deo ipso bellum gerẽs suscepisti. Quid Zuinglius, Aecolãpadius, Caluinus, Martyr, sed non Dei, quid reliqui, quorum iam memoria nostro seculo ferè extincta est, profecerint, vides. Noli te nec loquentiorem Caluino, nec diligentiorem Martyre, nec Aecolampadio callidiorem, nec alijs, quibus est vsus ad hanc pestem excitandam inimicus, ingeniosiorem arbitrari. Quid tuus proficiet riuulus, cũ illa turbulenta & impetuosa ingeniorũ tartarea flumina desiccata sint? Stat inuicta Ecclesiæ professio: S. Romanæ Ecclesiæ exaltatur fides, fitq; nũc illustrior dum laceratur, vt maiore gloria de hæ

resibus per vulnera triumphet. Et hîc Vilnæ, quã paulò ante prostratam putabatis, diuino præsidio exaltata erigitur: Hæreticorumq́; lupis prædã è faucibus excutiens, tuam etiam ô miser post tot à vestra peste liberatas animas conuersionem expectat. Partem quandam gregis Domini, quasi in infirmo corpore impurum quendam sanguinẽ attraxistis, sed quid profecistis? abstractos ab vnitate Ecclesiæ, & vno Christi ouium pastore Pontifice Romano, in tot secuistis partes: vestri discipuli vera genimina viperarum suo vos partu tot q; discordijs enecant. & corpus quidẽ Ecclesiæ prauis humoribus exoneratũ ad pristinum melioris valetudinis redit vigorem; putores verò & fætores isti in damnationis æternæ supplicia deijciuntur: quæ tibi certè euenire nolim. Tuum itaq; periculũ cautus agnosce, & quæ sit fallis prophetis animarumq́; prædatoribus (qui vna cũ Sathanæ societate homines, Christi redemptos sanguine, ad æternæ damnationis barathrum præcipitant) pæna proposita, at-

tentius

tentiùs considera. Tales quò plures se ducunt, eò difficiliùs ad veram pænitẽtiam, pondere alienorum peccatorum pressi, resurgunt: nec tam facilè suæ conuersionis exemplo alios ab errore reuocant, sicuti facilè peruerterunt. Veniat tibi in mentem, Berengarij illius sectæ tuæ primi magistri, licèt iam pœnitentis, ille in exhalanda anima, iusti & seueri iudicij Dei metus: et casus iste, q ante paucos dies accidit, Ruperti medici, qui se vobis in hoc diuinissimo sacramento blasphemando, non socium tãtùm, sed ducem præbuit, tibi potissimũ in exemplum propositus sit. Is enim cùm eadem die apud quendam magni nominis Catholicum, sanctissimo sacramento detraheret, & librum se de Localitate vti ille dixit, corporis Christi artificiosum quendam habere iactaret: post tres ferè horas in quadragesimæ sacræ ieiunio ouis se reficere volẽs, subita morte ictus est: nec vnum horæ quadrantem ad componendum se, iudicioq; Dei sistendũ nactus, claram ille suæ blasphemiæ vltionẽ recepit, tibi verò

recentissimum exemplum reliquit, vt omnes moras rumpas, & spatium q̃d tibi ad pænitentiam relinquitur propere arripias. Ne te sicut peccati eiusdem societas tenet, ita & pænæ eiusdẽ vltio consequatur. O fælicem te, si citò sapere cœperis, & peccatorum tuorum magnitudinem, à desperationis laqueo liberatus, deploraueris: ad Ecclesiæq; vnitatem, à qua desciuisti, redieris. Surge ergo, baptizare tuis lacrymis, & veni Dominum Iesum Christum in S Eucharistia verè præsentem adoremus. Corde crede, & ore hanc animæ tuæ salutarem veteri errori tuo renũciãs, ede vna mecum confessionem.

Ego Domine Iesu Christe tuam veri & vnius cum patre & spiritu sãcto Dei in hoc admirabili sacramento omnipotentiam agnosco, veritatem prædico, infinitum erga me amorem exosculor. Hoc corpus, quod mihi in altari sub panis specie, & hunc sanguinem quem sub vini forma exhibes, illud ipsum esse, in quo precium redemptionis meæ in cruce persoluisti, & ignominiosam

pertulisti mortem, & quod ad dexterā Patris sedet, confiteor: nihil hîc substātiæ panis relinqui, sed illam in tuum corpus verbo potentiæ voluntatisq; tuæ transmutari: accidentia autem panis virtute tua, sine re subiecta vlla fulciri, agnosco: & totum te præsentem, nec in speciebus diuisum, in hac sacra Eucharistia adoro. Et licèt cicatrices tuorum vulnerum, sicut S. Thomas non intuear: fidei tamen beatitudinem, quam mihi non videnti sed credenti pollicitus es, exopto & expecto. Iam omnibus sensibus meis renuncio: iam rationem meam fidei & obedientiæ iugo subijcio: verè te & re ipsa hîc sub his speciebus esse præsentem, certissima fide credo, & ineffabili gaudio recipio. Quib9 lacrymis tantam tuam erga me dignationem consequar? etiámne corpore hîc nobiscum versari, modo tam stupēdo delegisti? Hoc mihi corpus tradis, in quo totius mundi salutem perfecisti, vt accipiam te & redimam me: vt pro quotidianis meis peccatorum debitis, precium sine quo remissio peccatorū

non est, persoluam: & illud tandem manducando vitam æternam & incorruptionem consequar, & in tuam diuinam naturam hac coniunctione transferar. O summam clementiam, vbi est gratitudo mea? Quod maius tuæ erga me dilectionis argumentum possum desiderare? Quis mihi spem de peccatorum meorum remissione, in tali tecū coniunctione, & tanto amoris tui indicio, eripiet? Quid non tecum mihi donatum existimabo? Quæ tribulatio & aduersitas hoc mihi solatium, quod in te est, auferet? Quid me iam ita tibi cō-iunctum perterrefaciet? Tuis omnibus meritis incorporatus, non modò per hanc escam diues, sed & hæreditatis tuæ, imò & diuinitatis particeps efficior.

Valeant Hæreticorum tua beneficia blasphemantium figuræ: facessāt tropi Zuingliani: siliquæ istæ porcorum abscedant: ego saciari nisi ex te ipso Domine, & corpore tuo, quod diuinitati coniunctum esse confiteor, non possum: replere desiderium meum totius mundi fælicitas nequit. creasti me ad te, ideò saciari nisi ex te non potero. Nunquid

panis pistorius & Mosaica signa vitam mihi & incorruptionem conferēt? Nō figuras, sed te corpusq́ tuum per hanc specierum quasi vestimenti tui fimbriam tangere, & sanari cupio Domine: illud corpus, quod solo attactu ōnes curabat morbos: quod quicunq; tangebant, salui & omni consolatione repleti reddebantur. Nunqd eius post resurrectionē & gloriæ illius assumptionem virtus est imminuta? vt non à me etiam, ōnes meæ animæ, & corporis languores depellat, & ex sui manducatione incorruptionem mihi & immortalitatem tribuat? Benedic ergo seruis tuis Domine, & beatos effice eos, q in hoc mysterio non videntes te credūt te: digitos in loca tuorum clauorum non inferunt, nec lateris tui cicatricem contrectant: & tamen te verum Deum & Dominum confitentur. Obsecro, vt nobis tuo verbo credentibus, & nihil de tua omnipotentia hæsitantibus benedicas, & hanc nostram fidem adaugeas, summumq́; in te amorem & feruentissimam erga te, dum hoc mysterium sumimus, charitatem exuscites.

Eos verò, qui tuæ veritati & potentiæ propter sui ingenij angustias, fallacemq; suorum sensuum coniecturam, detrahunt, conuertere ad Ecclesiæ vnitatem Apostolicamq; charitatem reducere digneris. Aufer velamen ab oculis eorum, vt sathanæ insidias quibus tenentur deprehendant: & peccatorum suorum magnitudinem spectantes, quæ sit pacis & obedientiæ vnitatisq;, quam tuo nobis testamento commendasti, in tua Ecclesia virtus, agnoscant. Contere citò superbum sathanã sub pedibus eorum, vt te in cordis contritione requirant, & in humilitate suiq; contemptu inueniant. Tu es enim, qui reuelas hæc mysteria paruulis, & ab his qui sibi prudentes videntur abscondis, quò tandẽ diuinis tuæ gratiæ illustrati radijs, fide Catholica imbuantur: & vna nobiscũ vera illa & summa, ex tui sacratissimi corporis manducatione, concepta charitate, gloriã nominis tui celebrẽt, & te verũ cũ patre & spiritu S. in Trinitate vnũ Deũ adorãtes, vitã, quã pænitẽtibus pollicitus es, æternã cõsequãtur. Amen.

RERVM MEMORABILIVM IN HOC OPERE index.

A

Chri-

Corpo

recenti-

rebus

F

Fides

fide

N

O

P

Sacra-

Sacrifi-

Hoc

V

Z.

Zuin-



VILNAE EX TYPOGRAphia, et sumptibus, Illus. D. Domini Nicolai Christophori Radiuili, Ducis in Olica & Niessuis. Magni Du. L. Marschalci &c. Anno Domini. 1576.

